capitulis 10. diſt. juncto Anton. Auguſt. l. 1. de emend. Gratiani, dial. 19.

10 Diſſolvitur dubitandi ratio.

Nec obſtat dubitandi ratio ſupra adducta, nam certum eſt, judices laicos nullam cognitionem ſuper excommunicatione habere poſſe, & minus eam infligere valere: nec contrarium probant textus ſupra citati. Non textus in dict. c. decernimus, quia in ejus ſpecie judex laicus non cognoſcit de jure valorem excommunicationis, ſed tantum de facto, utrum videlicet actor eſſet denuntiatus, vel non: cum ſuper facto tantum rei Eccleſiaſticæ poſſit Judex laicus cognoſcere, ut pluribus relatis docent Bobadilla l. 2. polit. c. 18. n. 235. Seſſe de inhibit. c. 8. §. 3. n. 23. Germonius l. 3. de ſacror. immunit. c. 11. Covar. pract. c. 35. n. 5. Guttierez l. 1. canon. c. 34. ex n. 16. Barboſa in l. Titia 34. ex n. 20. ff. ſolut. matrimon. Valaſcus conſultat. 11. n. 2. Sahagun in præſenti, ex n. 60. Solorzan. tom. 2. de jure Indiar. l. 3. c. 3. n. 35. Hermoſilla in proleg. 5. p. n. 88. Nec etiam contrarium probant textus in d. l. 3. §. 1. d. l. placet 5. nam Imperatores ibi non imponunt excommunicationem jure proprio, tamquam Judices ordinarii, ſed ut executores ſacrorum canonum, ibi excommunicationis ſententia infligitur. Germonius l. 2. c. 14. n. 12. Similiter etiam in donationibus Bermundi, & Dagoberti, non ipſi Reges donationum auctores, ſed Epiſcopi, Prælatique Eccleſiaſtici, qui hujuſmodi donationibus intererant, & ſubſcribebant, cenſuram excommunicationis infligebant: Principes ipſi in contradictores pœnas temporales ſtatuebant, Epiſcopi vero excommunicationem, & alias ſpirituales pœnas proferebant. Nec obſtat ſecunda difficultas deducta ex eo, quod Principes ſæculares gratiam faciunt jurisjurandi, ideſt relaxant obligationem juramenti præſtiti, aut præſtandi, gratiam enim facere jurisjurandi accipimus pro remittere neceſſitatem jurandi, l. remitti 6. l. nam quod 9. §. 1. l. juris 32. l. ſi non fuerit 37. l. Labeo 47. ff. de jurejurand. docent Cujacius l. 18. Pauli ad edict. in d. l. remitti, Donellus l. 24. comment. c. 5. & licet hodie in lege gratiæ relaxatio juramenti a judice eccleſiaſtico ſit petenda, c. venerabilem 34. §. idem, de elect. c. novit 13. §. licet, de judic. c. quanto 18. c. ſicut 29. c. intellecto 33. de jurejurand. illuſtrat Præceptor D. Franc. Ramos in ſæpe laudato ſyntagm. pro Epiſc. Luſitan. pag. 26. n. 141. Tamen olim Romani Imperatores jurisjurandi gratiam faciebant, non auctoritate Imperatoria, ſed Pontificia, qua fulgebant, & de religione, rebuſque ſacris cognoſcebant, ut ſupra dixi, & probant Roſinus l. 3. antiquit. c. 22. Caſaubonus in notis ad Svetonium c. 31. Lipſius de Veſta, & Veſtalibus, c. 9. Germonius l. 1. de ſacror. immunit. c. 8. & l. 2. c. 19. Fornerius l. 2. rerum quotid. c. 2. Oſualdus l. 24. comment. Donelli, capit. 17. littera Q, Pinellus l. 1. ſelect. c. 31. Mancinus genial. c. 219. Gutherus l. 2. de veteri jure Pontif. c. 3. Petrus Greg. l. 50 ſyntagm. c. 7. n. 8. Cujacius in novell. 51. P. Herodius l. 4. rerum judic. tit. 17. c. 12. Arias a Meſa l. 3. variar. c. 30. Nec etiam obſtat textus in d. c. fin. de foro compet. Pro cujus ſolutione ſciendum eſt, circa juramentum duplicem cognitionem in judicio intervenire poſſe. Prima ut relaxetur obligatio ex eo proveniens: ſecunda illud interpretando, aut ſubtrahendo negotium ſupra quod delatum eſt, aut de facto ipſius juramenti diſceptando. Primam cognitionem laici habere non poſſunt ex hoc textu, & ſupra traditis: ſecundam vero exercere valent, ut docent Covarr. in c. quamvis, 1. p. §. 3. n. 28. Germonius l. 1. de ſacror. immunit. c. 29. n. 19. de qua ſecunda cognitione accipiendus eſt textus in dict. c. fin. latius dicemus in c. de jurejurand. Nec tandem obſtat factum D. Pauli nam reſpondetur, Cæſarem non fuiſſe judicem legitimum Apoſtoli, ſed ſolum ob importunitatem Judæorum coactum fuiſſe D. Paulum appellare Cæſarem, non ut judicaret, aut terminaret cauſam religionis, ſed ut eriperet eum de manibus Judæorum, a quibus non facile liberari poterat per præſidem Judææ, ut docuit Bellarmin. in Apolog. contra Regem Angliæ, c. 13. fol. 199.

Præſenti aſſertioni opponi ſolent textus in c. placuit, 32. q. 7. quem poſt Primarios noſtros in præſenti explicat Arias a Meſa l. 3. variar. c. 35. per tot. & textus in c. dilecti, de arbitris, c. exhibita, de confirmation. utili, quos expoſui in c. contingit, de arbitris, etiam expendi ſolet textus in c. conſtitutus 8. de in integrum reſtitut. cujus interpretationem adduxi in c. Eccleſia, de conſtitutionibus. Illis ergo omiſſis expendo adverſus ſupra traditam aſſertionem, textum non vulgarem in can. 18. Conc. Cabilon. ſub Carolo, in illis verbis: "Dictum eſt nobis, quod „ in quibuſdam locis Epiſcopi, & comites ab inceſtuoſis, & „ illis qui decimas non dant, vvadios accipiant, & a presby- „ teris pro quibuſdam negligentiis, & inter ſe pecuniam di- „ vidant: quod penitus abolendum decrevimus, ne forte „ avaritiæ locus detur; & conſtituimus, ut inceſtuoſi jux- „ ta canonicam ſententiam pœnitentia multentur. Qui ve- „ ro per crebras admonitiones, & prædicationes ſacerdotum „ dare neglexerint, excommunicentur. Juramento vero eos „ conſtringi nolumus, propter periculum perjurii.„ Ex quibus deducitur, comites (qui ſunt judices ſæculares, c. 1. de immunit. Eccl.) non ſolum de inceſtu, verum de decimarum cauſa cognoſcere poſſe. Igitur quia laici Eccleſiaſtica negotia terminare valent. Pro hujus canonis interpretatione dicendum eſt, comites, ſeu judices ſæculares poſſe cognoſcere de inceſtu, & illum punire, quia hoc delictum eſt mixti fori, & inter judices eccleſiaſticum, & ſecularem locus eſt præventioni, quando perpetratur a laicis, ut docent pluribus relatis Anſaldus de juriſdict. p. 4. tit. 2. c. 2. Bobadilla l. 2. polit. c. 17. n. 63. Pereyra de manu Regia c. 56. & de aliis delictis, quando eorum auxilium neceſſarium eſt, quo caſu accipi poſſunt textus in c. non ſicut 4. in fine, 17. diſtinct. c. 1. 33. q. 5. De decimis etiam poſſe cognoſcere, non ut de jure earum ſententiam proferant, ſed de facto tantum cognoſcant, an videlicet ſolutæ ſint, necne: tunc enim etiam judicem laicum poſſe procedere, innumeris relatis reſolvit Barboſa de poteſt. Epiſc. part. 3. c. 28. §. 3. quibus in caſibus procedit textus in dict. can. 17. Concil. Cabilon.

11 Exponitur Conc. Cabilon. can. 18.

12 Intelligitur c. grave, de exceſs. Prælat.

Secundo adverſatur textus in c. grave 15. de exceſſib. Prælat. in illis verbis: *Vel in foro ſæculari de poſſeſſione contra eum ſuper rebus ſpiritualibus*. In quibus ſupponitur, judicem ſæcularem de cauſis ſpiritualibus cognoviſſe, ſiquidem coram eo Archidiaconus teſtimonium dixit contra Epiſcopum. Igitur quia laici poſſunt diſceptare, & terminare negotia ſpiritualia. Cui difficultati ſatisfaciendum eſt aſſerendo, in ejus textus ſpecie Archidiaconum non depoſuiſſe, hoc eſt teſtimonium perhibuiſſe contra Epiſcopum coram judice laico, ſed de facto quæſtionem propoſuiſſe coram laico judice Epiſcopum conveniendo: unde grave delictum perpetravit, ſiquidem intendebat ad judicium ſæculare Epiſcopum trahere: quare dignitate privatur, & aliis pœnis plectitur, de quibus in cap. placuit 43. 11. quæſt. 1. cum ſequentibus. Obſtat etiam huic deciſioni Concil. Milev. 2. canon. 17. cujus interpretationem, & aliorum jurium, quæ in præſenti expendi poſſunt, adducimus in cap. Clerici, hoc tit. cap. tuam 3. de ordin. cognit.

C A P U T III.

a Alexander III. *Illuſtri* b *Regi Anglorum*.

QUanto te divina gratia ſummaque providentia majoris gratiæ privilegio c decoravit, tanto viros religioſos majori debes charitate diligere, & in juſtitiis ſuis d manutenere propenſius, & favore. Cauſæ patronatus Eccleſiarum ita junctæ ſunt, & connexæ eccleſiaſticis cauſis, quod non niſi eccleſiaſtico judicio valeant definiri, & apud judicem eccleſiaſticum ſolummodo terminari.

N O T Æ.

1 a ALexander III.) Ita etiam legitur in prima collectione, ſub hoc tit. c. 5. & in append. Conc. Lateranen. p. 47. c. 4. ex quo ſupplenda eſt hujus textus littera.

2 b Illuſtri Regi.) Henrico videlicet II. qui Angliæ ſolium conſcendit anno 1155. & rexit uſque ad annum 1189. Quem Petrus Bleſenſis, qui eum optime novit, ita deſcribit ep. 66. "Nemo eſt in conſiliis argutior, in eloquentia „ torrentior, ſecurior in periculis, in proſperis timi- „ dior, conſtantior in adverſis. Quotidiana ejus ſchola „ eſt litteratiſſimorum converſatio, jugis etiam diſcuſſio „ quæſtionum: eleemoſynas ejus enarrat omnis Eccleſia „ Sanctorum.

3 c Decoravit.) Fuit hic Henricus II. omnium prædeceſſorum ſuorum Angliæ Regum potentiſſimus, & Romanæ Eccleſiæ obſequentiſſimus, ut teſtatur noſter Alexander III. relatus a Baronio anno 1160. illic; "Perſolvimus gratias omnium „ conditori laudum præconia conferentes, quod magnifi- „ cum illum, & ſereniſſimum orbis Principem Henricum „ Regem Anglorum audivimus firmum, ac ſtabilem in Ca- „ tholicæ unitate Eccleſiæ permanere.„ Unde refert Hovedenſis p. 2. pag. 49. ipſum ab Alexandro III. creatum fuiſſe Legatum totius Angliæ. Plura de eo tradit Richardus Smithæus in florib. Eccleſiaſt. pag. 623.

4 Concluſio refertur, & probatur.

d Manutenere.) In Provincia enim Anglicana mos, ſeu potius corruptela invaluerat, ut de jurepatronatus, & de præſentatione ad beneficia eccleſiaſtica laici Magiſtratus cognoſcerent, ut liquet ex c. relatum, juncta inſcriptione, de jurepatron. & refert Matthæus Pariſ. in Henrico II. illic: *De advocatione, & præſentatione Eccleſiarum* (videlicet de jurepatronatus) *ſi controverſia emerſerit inter laicos, vel inter clericos, vel inter clericos & laicos, in Curia Domini Regis tractetur, & terminetur*. Quam cognitionem etiam ſuo tempore laicos uſurpaſſe teſtatus Hoſtienſis in præſenti.

COMMENTARIUM.

EX præſenti textu communiter talis deducitur aſſertio: *Cognitio cauſæ juſpatronatus ad judicem eccleſiaſticum ſpectat*. Quæ deciſio in hoc volumine ſimilem non habet; conſonant tamen Clementina diſpendioſam, de judiciis; & de jure Regio textus in l. 56. tit. 6. l. 15. p. 1. Exornant ultra repetentes in præſenti, videlicet Cujacium, Felicianum, Vegam, Cavallerium, Sahagun, Balboam, Garannam, & Fermoſinum, Barboſa 6. tom. in ſelect. ad hunc textum, Gonzalez ad regul. 8. gloſſ. 28. per totam, Garcia 5. part. de benefic. cap. 9. Lotterius de re benefic. lib. 2. cap. 9. per tot. Boet. Epon. qq. heroic. in Clement. ultim. de rer. permut. n. 290. Pereyra de manu Regia, part. 2. c. 29. per totum,

P. Bar-

P. Barboſa in l. divortio, §. ſi vir, ff. ſolut. matrim. Anſaldus de juriſd. p. 2. tit. 5. cap. 1. Binsfeldius in rubric. de ſimonia, notab. 7. Azor. p. 2. moral. l. 2. cap. 19. Chophinus de ſacra polit. l. 1. quæſt. 4. Cabedo de patron. regim. cap. 49. Solorzanus tom. 1. l. 3. cap. 3. num. 26.

5 Traditur dubitandi ratio.

Sed hæc aſſertio a ratione juris difficilis admodum videtur, nam juspatronatus quomodocumque conſideretur, temporale eſt, ſi enim donationem, aut Eccleſiæ conſtructionem attendamus, ipſæ temporales res ſunt: ſi jus ipſum, quod Patronus conſequitur, videlicet jus honoris in proceſſione, alimentorum, & præſentandi etiam temporalia eſſe quis ambigit? Quare laici, qui ſpiritualia poſſidere & obtinere non poſſunt, c. Meſſana, c. ſacroſancta, de election. c. cauſam, de preſcript. juſpatronatus poſſidere valent, ſive jure hereditario c. 1. & 2. de jurepatron. Clement. ſi plures, eodem tit. ſive præſcriptione, ut docet Barboſa 1. p. de præſcr. 1. princ. q. 9. Covarr. in regul. poſſeſſor, 2. p. §. 10. Igitur ſi omni reſpectu juſpatronatus temporale eſt, & a laicis poſſidetur, ejus cauſæ cognitio ad judicem laicum, non vero eccleſiaſticum ſpectat. Augetur hæc difficultas ex c. ſignificavit 41. de teſtibus, ubi Sabinenſis Magiſtratus cognoſcit de jurepatronatus. Igitur non recte aſſerimus ejus cauſæ cognitionem ad laicum ſpectare non poſſe.

6 De origine juriſpatronatus.

Quam dubitandi rationem ut diluamus, veramque hujus deciſioni rationem reddamus, ſciendum eſt, olim conſtruentem, reædificantem, aut Eccleſiam dotantem, nullum jus inde conſequi in ea, imo Epiſcopum proprium, qui eam conſecrabat, omne jus inſtituendi Prælatos in ea retinuiſſe, & alia quæ ratione Eccleſiæ competunt, cap. omnes 16. quæſtion. 7. Creſpecius in ſumma, verbo Baſilica: quod cum ægre ferrent laici, paulatimque ab Eccleſiarum conſtructione retraherentur, ſummi Eccleſiæ Præſules majori bono conſulentes, quo magis laicorum ſtudium frigeſcens majoribus propoſitis præmiis ad hoc pium opus concitarent, juſpatronatus in ipſis Eccleſiis conceſſerunt. Gelaſius honorem in proceſſionibus conceſſit, c. piæ mentis 26. 16. quæſt. 7. Hallerius de ſacris elect. ſect. 8. c. 1. art. 2. Petrus Gregorius l. 1. part. tit. 4. c. 22. & PP. Concilii Toletani 4. relati in c. quicumque 30. 16. quæſt. 7. conceſſerunt, ut Patrono egeno alimenta præſtarentur: illuſtrat Dekerus l. 1. diſſert. 12. tandem PP. Concilii Tolet. relati in c. decernimus 16. quæſtion. 7. præſentandi facultatem illis dederunt; quod firmarunt Pontifex in cap. nobis, de jurepatron. Trident. ſeſſ. 25. de reform. c. 9. quæ jura honoris, præſentationis, & alimentorum late Deo volente illuſtrabo in dict. c. nobis: interim videndi ſunt Petrus Gregorius de benefic. c. 14. Barboſa l. 3. juris eccleſ. c. 12. num. 50. Boſquetus ad Innoc. l. 1. ep. 2. & 21. & l. 3. ep. 7. & 23. Landmeter. de veteri monach. l. 2. c. 3. Joannes Dartis de benefic. pag. 69. Tamburin. de jure Abbat. diſp. 7. q. 5.

7 Juſpatronatus quomodo acquiratur.

Hoc juſpatronatus acquiritur triplici de cauſa. Prima ex fundatione Eccleſiæ, veluti ſi prædium donetur, aut relinquatur ad Eccleſiæ conſtructionem, c. Abbatem 4. 18. q. 2. c. quoniam, ubi Gloſſa verbo Fundatores, de jurepatronat. Secundo per ejus conſtructionem, ut cum quis Eccleſiam ſuis ſumptibus conſtruxit c. monaſterium 33. c. rationis ordo 34. 16. q. 7. c. nobis 25. de jurepatron. vel etiam plane dirutam, ac deſtructam reædificat, licet ex eiſdem lapidibus, eademque materia; ſecus ſi eam tantum reparaverit, ut docent Azor 2. part. inſtit. l. 6. c. 1. quæſt. 10. Lambertinus l. 1. de jurepatron. p. 1. quæſt. 6. princ. art. 6. Barboſa de poteſt. Epiſc. 3 part. alleg. 70. num. 5. Garcia de benef. part. 5. c. 5. num. 51. Tertio per dotationem, cum quis congruam, & ſufficientem dotem aſſignat miniſtris Eccleſiæ, & luminibus, c. nemo, de conſecr. diſtinct. 1. Nec intereſt an qui conſtruit, rædificat, vel donat Eccleſiam, ſit clericus, vel laicus, omnes enim idem jus conſequuntur, licet unum dicatur juſpatronatus laicale, aliud vero eccleſiaſticum, c. cum autem 24. de jurepatron. c. unic. §. 1. eodem titulo in 6. c. cum vos, de offic. ordin. & licet Doctores inter juſpatronatus eccleſiaſticum, & laicale nonnullas agnoverint differentias, quas & nos adducemus in titulo de jurepatron. quoad præſentem diſputationem nullum verſatur diſcrimen: ſive enim de jurepatronatus a laicis obtento, ſive de jure ab eccleſiaſticis retento agatur, ſemper cognitio ſpectat ad judicem eccleſiaſticum, ex præſenti deciſione.

8 Traditur decidendi ratio.

Hujus deciſionis vera ratio, difficultatiſque ſupra adductæ ſolutio proveniunt ex vera reſolutione illius quæſtionis, utrum videlicet juſpatronatus ſit ſpirituale, aut ſpiritualibus annexum? Et ſunt in hac quæſtione qui affirment, eſſe ſua natura ſpirituale. Ita docuerunt in præſenti Butrius, Joannes Andreas, Abbas Siculus, Barbatia num. 16. Suarez de relig. l. 4. de ſimon. c. 28. n. 7. Contrarium tamen, imo eſſe ſpiritualibus annexum, docent Panormit. & Felinus in præſenti, Selva de benefic. 1. part. quæſtion. ultim. prope finem, Rochus de Curte de jurepatron. verbo Jus, numer. 2. Archid. & Turriſcrem. in cap. piæ mentis, 16. quæſt. 7. Binsfeldius de ſimon. in rubric. notab. 7. Lotherius, & Anſaldus ubi ſupra, Gibalin. de ſimon. quæſt. 2. conſect. 15. Præceptor D. Franc. Ramos in prædicto ſyntagm. de Epiſcop. Luſit. pag. 54. num. 29. & eſt communis Theologorum ſententia cum D. Thoma 2. 2. quæſt. 100. art. 4. & probatur ex auctoritate præſentis textus, & textus in capit. de jure, de jurepatron. Et ea ratione; nam juſpatronatus eo tendit, & reſpicit, ut eligantur, præſententurque miniſtri eccleſiaſtici, qui ſpirituales actiones peragant, divinaque officia celebrent; unde ait D. Thomas antecedenter eſſe annexum ſpiritualibus, ſicut vaſa, & ornamenta, quæ quia præparatoria ſunt, ſacra dicuntur, capit. vaſa, cap. veſtimenta, de conſecrat. diſtinctione prima: ſic juſpatronatus dicitur ſpiritualibus annexum, quia præparat ad actiones ſpirituales, unde non dicitur annexum ratione dependentiæ ab ſpiritualitate, hoc enim caſu ſpiritualitas influeret in ipſum Patronatum; ſed ratione præparationis & ordinationis ad ſpiritualia, ut exponunt late Lotherius, & Anſaldus ubi ſupra, Turriſcrem. l. 1. ſummæ quæ. 1. num. 6. Barboſa in ſelect. ad hunc textum; quare cum laici ſpiritualia tractare non poſſint, cap. 2. hoc tit. nec de cauſis juſpatronatus cognoſcere valent, tamquam de negotio ſpiritualibus annexo: docent Coſta in c. ſi pater, verb. Trebellianica, num. 7. Molina de primog. l. 1. c. 24. n. 26. Si autem agatur de præcedentiis patrono debitis extra Eccleſiam, aut de poſſeſſione habendi ſedem, aut ſcamnum in Eccleſia, judex laicus adiri poteſt, Bobadilla l. 2. polit. c. 18. n. 228. Barboſa de poteſtat. Epiſc. allegat. 78. num. 42. Cevallos de cognit. per viam viol. quæſt. 124. Eſcobar de Pontificia & Regia, c. 24. num. 169. Thoro tom. 1. compend. verbo Cauſa confraternitatem, fol. 79. Lara de capel. c. 25. Valeron de tranſact. tit. 3. q. 2. etſi adhuc illis caſibus adeundum eſſe judicem Eccleſiaſticum teneant idem Barboſa de jure eccleſ. l. 2. c. 11. n. 85. Cancerius 3. part. c. 10. n. 115.

9 Diſſolvitur dubitandi ratio.

Nec obſtat dubitandi ratio ſupra adducta, nam licet juſpatronatus inſpecta naturæ perſonæ, aut actus ex quo provenit, non habeat ullam ſpiritualitatem, tamen ratione actuum, ad quos diſponit & præparat, ſpirituale creditur, ut ſupra dixi; & licet a laicis poſſideatur, poſſitque jure hereditario, aut præſcriptione acquiri, imo & venditionis titulo, hoc tamen procedit; quando cum univerſitate bonorum tranſit in heredem, aut emptorem bonorum. Nonnulla enim quæ principaliter alienari, & in alium poſſeſſorem tranſire nequeunt, per univerſitatem tamen tranſire valent, l. in modicis 24. ff. de contrah. emption. & in jurepatronatus probant textus in c. ex litteris, c. cum ſæculum, de jurepatronatus, c. cum Bertoldus 18. de re judic. l. 8. tit. 15. p. 11. docent Molina de primog. l. 1. c. 24. Hormoſilla in l. 15. tit. 15. p. 5. gloſſ. 4. Salgado 3. p. labyrinthi, c. 5. n. 1. Noguerol allegat. 36. n. 26. Olea de ceſſ. jur. tit. 3. q. 8. n. 26. quo caſu ſuper jurepatronatus tranſigi, & compromiſſum fieri poteſt, & judex ſæcularis de eo cognoſcere valet. Valeron d. q. 6. n. 42. Marinis t. 1. deciſ. 346. Nec obſtat augmentum difficultatis, deductum ex dict. cap. ſignificavit, de teſtibus; cui ut ſatisfaciant Vega, Balboa, & Sahagun in præſenti, ſupponunt in ejus textus ſpecie ex delegatione Pontificis Judicem Sabinenſem proceſſiſſe; & cum laici ex delegatione Pontificis poſſint de cauſis eccleſiaſticis cognoſcere, c. Menam 2. q. 4. ideo judicem Sabinenſem in eo textu poſſe de jurepatronatus cognoſcere. Aliter ſatisfacere intendit Lotterius dict. c. 9. qui affirmat judicem Sabinenſem tantum habere miniſterium recipiendi teſtes, non autem cognoſcendi de jurepatronatus. Sed quorſum hæc tendunt, cum vera illius textus interpretatio proveniat ex notitia, ſeu hiſtoriæ Eccleſiæ Sabinenſis, quam refert Ughellius tom. 1. Ital. ſacræ; aſſerit enim Epiſcopum Eccleſiæ Sabinenſis plerumque Cardinalitia dignitate decorari; unde cum ratione tituli ſui Cardinalatus Romæ reſideat, ibi proponit, conſtituitque judicem vicarium, qui de cauſis eccleſiaſticis cognoſcat, quare cum Eccleſiaſticus judex ſit, poteſt cognoſcere de cauſa juriſpatronatus; quam ſolutionem præſenſit Cujac. in d. c. ſignificavit.

10 Exponitur c. filiis, 16. quæſt. 7.

Huic aſſertioni opponi ſolent textus in c. examinata, de confirmatione utili, quem latius expoſui in c. contingit, de arbitris; & textus in c. 1. de jurepatr. c. cum Bertholdus, de re judic. c. ex litteris 7. c. cum ſæculum 13. de jurepatr. in quibus potius agitur de modis, quibus juſpatronatus conſequitur, quam de juriſdictione competenti in ejus cauſis: ſed illis omiſſis, rectius expendi poteſt textus in c. filiis, vel nepotibus, 16. q. 7. in illis verbis: *Regis hæc auribus intimare non differat*. Ubi cum agatur de jurepatronatus, aſſeritur Regem in ea cauſa eſſe adeundum. Igitur quia laici cauſa juriſpatronatus terminare valent. Pro hujus textus interpretatione varias adducunt ſolutiones Martha de juriſdict. p. 1. c. 48. n. 26. Diana p. 1. tr. 2. reſol. 15. & omnes Doctores, qui cognitionem judicis ſæcularis per viam violentiæ injuſtam eſſe affirmarunt. Econtra vero Barboſa in c. 2. hoc titul. n. 130. Salgado de protect. Regia, p. 1. c. 1. n. 110. Covarr. pract. quæſt. 35. Seſſe de inhib. c. 8. §. 3. per tot. Bruno Chaſſaing. de privileg. regul. c. 1. propoſ. 10. Parexa de inſtrum. edit. p. 1. tract. 3. reſol. 1. & innumeri ab eis relati. Qui juſtitiam hujus cognitionis defendunt, ex eo textu præcipuum deducunt fundamentum, aſſeruntque, cauſas juriſpatronatus non principaliter ad Regis Curiam deferri, ſed ob omiſſionem, aut vim judicis Eccleſiaſtici; quo caſu juxta eorum ſententiam adiri poteſt judex ſæcularis, docet Salcedo in praxi, c. 102. Sed veram hujus textus interpretationem dabimus infra in c. 8. Hic non duxi omittendum de cauſis juriſpatronatus, quod ad Regiam Coronam ſpectat, ac inter regalia computatur, Regiam Cancellariam, ſeu ſupremum Cameræ Conſilium adiri debere, ut probant Garcia de nobilit. gloſſ. 9. num. 22. plures quos referunt, & ſequuntur Salgado de Regia protect. 3. part. c. 10. num. 190. Solorzanus tom. 2. de jure Ind. lib. 3. c. 3. num. 27. & licet in lib. 5. tit. 6. lib. 1. recopil. ſolum præcipiatur procuratoribus fiſcalibus, quod proſequantur cauſas Regium juſpatronatus tangentes, coram quibus, & quomodo debeant; tamen in l. 43. titul. 5. lib. 2. ejuſdem recopil. hos judices ſæculares eſſe declaratur.

C A P U T IV.

Idem a *Salernitano Archiep.*

AT *b* ſi clerici coram judice ſæculari convicti fuerint, vel confeſſi de crimine non propter hoc ab Epiſcopo ſua aliqua ſententia ſunt condemnandi. Sicut enim ſententia a non ſuo judice lata non tenet: ita nec confeſſio coram ipſo facta. Si vero coram Epiſcopo de crimine in jure ſunt confeſſi, ſeu legitima probatione convicti, *c* dummodo ſint alia crimina, propter quæ *d* ſuſpendi debeant, vel *e* deponi, non immerito ſunt a ſuis Ordinibus deponendi, & ab Altaris miniſterio perpetuo removendi.

N O T Æ.

a *SAlernitano.*) Ita legitur in prima collectione, *ſub hoc titul. cap. 6.* & poſt Concilium Lateran. *p. 26. cap. 4.* De Archiepiſcopo Salernit. nonnulla notavi *in cap. 1. de offic. judic.*

1 b *At ſi clericis.*) Facile depromitur ex his verbis deeſſe in præſenti aliam partem hujus decretalis, cui hæc deciſio annectatur. Obſervandum ergo eſt, Archiepiſcopum Salernitanum diverſas propoſuiſſe quæſtiones ſub unica coſultatione, ut conſtat *ex cap. licet*, juncta ejus integra, *de ſponſa duorum*, quibus licet ſub unica epiſtola Alexander varia reſponſa dediſſet, Bernardus tamen Papienſis, & Raymundus in partes ſecarunt, & juxta diverſitatem materiæ quamlibet ſub proprio rubro compilarunt. Principium epiſtolæ petendum eſt *ex dict. cap. licet*, aliæ vero partes reperiuntur *in cap. de cetero, de teſtibus, cap. 1. de cleric. repugnant. in duel. cap. presbyterum, de homicidio, cap. quamvis, de decimis.* Ex quibus reſtituenda eſt integra hujus textus. Ex hac prima parte hujus textus deducitur, *Clericum confeſſum coram incompetenti judice, ſæculari videlicet, vel convictum, non ideo condemnandum eſſe a proprio Epiſcopo.* Quod probatur *ex cap. olim 25. de reſcript.* ubi non valet confeſſio facta coram duobus judicibus delegatis, niſi coram omnibus in reſcriptis datis, juxta interpretationem Abbatis ibi, *num. 2.* Hippolyti *ſingul.* 309. *Divus 6.* juncto Bartolo ibi, *de cuſtodia reorum*, & per argumentum idem deducitur *ex l. 5. titul. 21. lib. 4. recopill.* docent ultra ordinarios, & congeſtos a Barboſa *in collect. ad hunc textum*, & *in ſelect. tom. 6.* Sahagum, Vega, Cavallerius, Balboa, Garanna, & Fermoſinus *in repetit. ad hunc textum*: quibus addendi ſunt Angujanus *lib. 4. de legib. capit. 2. per tot.* Boſquetus *ad Innocent. III. epiſtol. 1. in fine*, Cujac. *in præſenti*, & *lib. 56. Pauli ad edict. in l. 1. digeſt. de confeſſis*, & *ad titul. Cod. de confeſſis*, etſi a non competenti judice. Valaſco *conſul. 65. per tot.* Parexa *de inſtrument. edit. titul. 7. reſolut. ult.* Anſaldus *de juriſdict. part. 2. tit. 11. c. 1. num. 69.* Guazinus *in defenſione reor. c. 26.* Martha *de juriſdict. 4. part. c. 139.* Marinis *lib. 1. reſol. c. 61.* qui contrarium tenet in cauſa civili. Ratio hujus doctrinæ redditur a noſtro Alexandro in illis verbis: *Ut enim ſententia non ſuo judice lata non tenet*, &c. Sicut enim judicis incompetentis ſententia nulla eſt, *l. 1. Cod. ſi a non competenti, c. penult. 11. quæſt. 1. c. 3. de conſuet.* ita confeſſio coram incompetenti judice non valet. Accedit, nam confeſſio, ut vim judicialis confeſſionis habeat, debet fieri in jure, ideſt in judicio, coram judice competenti, *l. poſt rem, ff. de re judic. l. 1. §. quod ſi in lites, digeſt. ſi quid in fraud. patron. l. quidam, digeſt. de donat. l. 4. Cod. de repud.* Cujacius *in dict. l. 1. digeſt. de confeſſis.* Sed confeſſio facta a clerico coram judice ſæculari, eſt facta coram incompetenti: igitur vim confeſſionis non habet. Sed in hanc deciſionis partem opponi ſolent textus *in c. multi 18. 2. quæſt. 2. c. 1. 23. quæſt. 5. c. quam ſit grave, de exceſ. Prælat. c. ſi diligenti. 12. de foro compet. c. fin. de reſtit. ſpol. c. 1. de accuſat. in 6. c. 2. de except. eodem lib. l. jubemus, Codic. de libert. cauſa*; quos fere eiſdem verbis opponunt, exponuntque Sahagun, Vega, Balboa, Melchior Kling, & Garanna *in præſenti*: quare ne in idem incidamus vitium, conſultius duximus eorum interpretationem omittere, potius quam aliorum ſcripta tranſcribere, quod vitium procul eſto ab his commentariis.

2 c *Dummodo.*) Judex enim nequit mutare pęnas a jure ſtatutas, niſi arbitrium in eis illi relictum ſit, ut late probavi *in c. de cauſis 4. de offi. deleg.*

3 d *Suſpendi.*) Ab officio vel beneficio, ut clerici ebrioſi, *c. a crapula, de vita & honeſt. clericorum*, venatores, *cap. 1. de cleric. venat.* oblationes uſurariorum accipientes, *c. 3. de uſuris*, Euchariſtiam incaute cuſtodientes, *c. 1. de cuſtod. Euchariſt.* clandeſtinis nuptiis intereſſentes, *c. cum inhibitio, de clandeſt. deſponſ.* & alii quos refert Antonius Auguſtinus *in epit. juris lib. 4. tit. 13. & 14.*

e *Deponi.*) Verbaliter, ut clerici incontinentes, *c. ut clericorum. 13. de vita, & honeſt. clericor.* fures, *c. quoniam 5. 39. quæſt. 3. cap. presbyter 12. diſtinct. 81.* inferentes injuriam Epiſcopo, *c. conjurationum, 22. 11. qu. 1.* & alii quos recenſet Antonius Auguſtinus *in epitom. lib. 39. per totum.*

COMMENTARIUM.

4 Probatur concluſio. EX præſenti textu ſequens deducitur aſſertio: *Confeſſi in jure, vel legitime convicti, puniendi ſunt pœnis a jure ſtatutis.* Probant textus *in c. nunc autem 7. 21. diſtinct. c. ſi quis clericus 10. 81. diſtinct. capit. nos in quemquam 2. quæſt. 4. c. quod noverit 5. quæſt. 5. c. dilectus, de tempor. ordin. c. teſtimonium, de teſtib. c. 2. de confeſſis, c. ex litteris 10. de exceſſ. Prælat. c. cum olim, de rer. permut. c. de hoc, de ſimonia, l. proinde 25. §. final. digeſt. ad leg. Aquil. l. 5. digeſt. de cuſtod. reor. l. ſi ſervos 8. Codic. ad leg. Jul. de vi public. l. 2. titul. 13. partit. 3. l. 5. titul. 1. part. 7.* Carolus Magnus *lib. 15. capitul. cap. 156. Placuit ut judex crimino ſum diſcutiens non ante ſententiam proferat capitalem, quam aut reus ipſe confiteatur, aut per innocentes, aut veraces teſtes, vel ſocios criminis ſui manifeſtus convincatur.* Illuſtrant ultra repetentes ad hunc textum, videlicet Sahagun, Vegam, Cavallerium, Balboam, Garannam, Barboſam, & Fermoſinum, Vighellius *in method. juris can. pag. 185.* Simancas *de cathol. inſtit. tit. 23.* Hunnius *in encyclop. part. 2. titul. 16.* Anton. Matthæus *de crimin. tom. 2. pag. 770.* omnes Criminaliſtæ, Salcedo *in praxi, c. 130.* Anton. Gomez *lib. 3. variar. c. 12.* Tiber. Decianus *1. tom. tract. crim. lib. 4. c. 9. num. 130.* plures congeſti a Guazino *in defenſion. reor. c. 26.* Borellus *tom. 2. deciſ. tit. 3. confeſſ.*

5 Impugnatur hæc aſſertio. Sed in hanc aſſertionem ita pro dubitandi ratione inſurgo: Confeſſus non ſtatim haberi debet pro judicato, ita ut propria voce damnatus credatur, ſed aliæ probationes deſiderantur, *l. 1. §. ſi quis ultro ff. de qu.* probari enim debent tempus, qualitas delicti admiſſi, locus. Tertullianus *in apolog. c. 2.* illic: „Si de nocente cognoſcitis, non ſtatim confeſſo eo, nomine homicidæ, vel ſacrilegi, vel inceſti, vel publici hoſtis contenti eſtis ad pronuntiandum, niſi & conſequentia exigatis, qualitatem facti, numerum, locum, tempus, conſcios, ſocios. *Et cap. 3. ibi*: De confeſſo homicidium, ſcientes homicidium quod ſit, nihilominus ordinem extorquetis admiſſi, & merito, nam confeſſio delicti ſpontanea ſuſpecta eſt. *Quintil.* declamat. 314. Ea natura eſt omnis confeſſionis, ut poſſit videri demens, qui de ſe confitetur: furore alius impulſus eſt, alius ebrietate, alius errore, alius dolore, quidam quæſtione, nemo contra ſe dicit, niſi aliquo cogente. *Calphurnius Flaccus* declamat. 41. Confeſſio voluntaria ſuſpecta eſt, confeſſionem ſceleris appellat vocem doloris, miſericordia veſtra maximum munus eſt ſervare nolentem. *Accedit ſententia Senecæ* lib. 8. controv. 1. Non eſt confeſſio, niſi quam accuſator eruit, negat reus, tortor expreſſit.„ Adhuc enim poſt confeſſionem ſuppetunt quamplures defenſiones, quas late cumulat Guazinus *in defenſ. reorum, 32. per tot. cap. 26.* Igitur non ſtatim confeſſio injungenda eſt pęna a jure ſtatuta. Augetur hæc difficultas ex eo, quia confeſſio tantum eſt probata, *c. 1. de confeſſis, lib. 6. clement. 4. in fine de elect. c. 6. ad ſedem, verb. nos priori, de reſtit. ſpol. l. 1. ff. de interrogat. l. Publia 26. §. fin. ff. depoſiti, l. 2. tit. 13. part. 2. l. 15. tit. 1. part. 7.* docent Valaſcus *de jure emphyt. 1. part. qu. 7. num. 26.* Menochius *de recuper. remed. 1. num. 218.* Sed poſt probationem in judicio factam deſiderantur teſtium publicatio, & concluſio, exceptioneſque admittuntur. Igitur confeſſus non ſtatim damnandus eſt. Secundo contra eam partem, ubi aſſeritur, reum convictum damnandum eſſe, obſtat; nam etiam ex præſumptionibus, & indiciis poteſt quis condemnari, *c. 1. & 2. de præſumpt.* igitur non deſideratur ut reus damnetur, quod convictus ſit.

6 Confeſſus in jure quis. His difficultatibus minime obſtantibus vera eſt præſens deciſio, pro cujus expoſitione ſciendum eſt, confeſſum in jure eum dici, qui in judicio coram judice pro tribunali ſedente crimen, aut debitum fatetur, *l. quidam, digeſt. de donat. l. poſt rem, digeſt. de re judic. l. 4. Cod. de repud. hæredit.* ipſe enim ita confeſſus pro judicato habetur, qui quodammodo ſua ſententia damnatur, *l. 1. l. Julianus 3. cum ſeq. ff. de confeſſis*, ubi Cujacius *lib. 56. Pauli ad edict. & tract. 5. ad Afric.* Donell. *l. 18. c. 1.* Suarez *ad l. Aquil. lib. 3. cap. 5.* ac judicatis æquiparatur, etiam in tempore illi ad ſolvendum dato, *ex l. 12. Tabul. tabula 3. c. 5.* in illis verbis: *Æris confeſſi, rebuſque jure judicatis triginta dies juſti ſunto.* Gellius *l. 15. noctium, c. 15.* ex eo referunt Salvius, Balduinus, Revardus, & noviter Jacob. Gothofredus *tabul. 3.* Et licet lex 12. Tabul. de pecunia tantum loquatur, quæ æris nomine continetur, poſtea SC. tempore D. Marci facto, ad omne debitum, omnemque actionem protracta fuit. Confeſſio igitur ipſa pro re judicata habetur, ſi pura, & abſoluta ſit, non vero conditionalis, *l. ſi quis decedens 37. digeſt. de legatis 3.* in cauſis civilibus; *l. ſi debitor 21. digeſt. de judiciis, leg. proinde 21. §. notandum; digeſt. ad l. Aquil. leg. ſi domus 71. §. in pecunia, digeſt. de legat. 1. l. 1. §. certum 6. digeſt. de confeſſ. l. penult. digeſt. de ceſſ. bonor. leg. 1. §. Julianus, digeſt. de liber. agnoſc.* Illuſtrant Valentia *l. 2. illuſtr. tract. 2. c. 3. num. 21.* ubi exponit textum *in l. Julianus 3. digeſt. de confeſſ.* Mancinus *genial. cap. 21.* ubi explicat *legem certum 6. §. ſi quis 3. digeſt. eod. titul.* Gomez *l. 3. variar. c. 1. n. 66.* niſi in continenti confeſſio revocetur, *c. præterea 7. de teſtib. cog.* aut niſi errore quis lapſus confiteatur, & errorem ante ſententiam probet, *l. ult. Cod. de error. advocat. c. ult. de confeſſis.* Nec contrarium probat textus *in leg. interrogatum, Cod. de liberali cauſa*, ubi mulier, quæ confeſſa fuit in judicio ſe ancillam eſſe, poteſt adhuc defendi in libertate; nam textus ille accipiendus eſt juxta Paulum *lib. 5. ſent. titul. 1. §. 4.* in ea, quæ metu, terrore, aut per errorem ita confeſſa

fuit, ut docent Cujac. *in notis ad Paulum in dict. §. 4.* Gothofredus *in d. l. interrogatum, litter. A.* Etiam deſideratur, ut confeſſio fiat in judicio apud Magiſtratum, vel judicem competentem in loco, ubi jus dicendi, ſeu judicandi cauſa conſiſtat, præſente adverſario.

7 De confeſſione delicti. In cauſis vero criminalibus confeſſus non habetur pro judicato, ſed pro convicto, ideoque poſt confeſſionem ſequi debet judicis ſententia condemnatoria, & quamvis confeſſus crimen ex ſua confeſſione fateatur, ut tamen de eo ſupplicium ſumatur, inquiſitione aliqua, & probatione opus eſt, videndumque num forte mortis cupidine, magis quam facinoris conſcientia ductus id fateatur, *l. 1. §. Divus 17. l. ſi quis ultro, digeſt. de quæſtionib. leg. ſi confeſſus 5. digeſt. de cuſtodia reor. leg. qui ſententiam 16. Cod. de pœnis*, Tertull. *ad Scapulam*: "Quid amplius tibi „ mandatur, quam nocentes confeſſos damnare, negantes autem ad tormenta revocare. *Et* in Apolog. Niſi enim fallor, leges malos erui jubent, non abſcondi; confeſſos damnari præſcribunt, non abſolvi: hoc Senatuſconſulta, hoc Principum mandata definiunt, hoc imperium, cujus miniſtri eſtis. *Aurelius Victor* in Titum: Prætereque cenſuiſſent de confeſſis ſupplicium ſumendum. *Quintilianus* declamat. 314. Lex quæ confeſſum punire jubet, ſententiam ipſi judici derelinquit.„ Illuſtrant Grotius *in floribus ſparſis ad tit. de confeſſis*, Cujacius *lib. 6. obſerv. c. 24.* D. Joann. Suarez *ad l. Aquil. lib. 3. cap. 4.* Savarus *ad Sidonium lib. 1. epiſt. 7.* Gibalinus *de negot. tom. 2. lib. 6. cap. 3. art. 8.* Unde olim magnum verſabatur diſcrimen inter confeſſum in jure in cauſa civili, & inter confeſſum in cauſa criminali; confeſſus enim in civili cauſa coram judice ſtatim pro judicato habebatur, tantumque illi tempus judicati ad ſolvendum aſſignabatur, *l. ſi debitori 21. ff. de judiciis, l. 16. ff. judicatum ſolvi*: olimque dabatur ex tali confeſſione actio ad inſtar judicati, ut exponit D. Joann. Suarez *ubi ſupra.* Si vero confeſſio fiebat coram judice pedaneo, dato videlicet a Prætore, etiam poſt confeſſionem ſententia ſequebatur, ut juxta formulam, aut judex reum damnaret, aut abſolveret: notat Vaconius *ad Vveſembechium, ad titulum de confeſſis*; *n. 4.* Confeſſus autem in cauſa criminali adhuc ſententia damnandus eſt, nec confeſſio executioni mandatur, niſi ſententia ſubſequatur, *l. 2. Cod. quorum appellat. l. ſi confeſſus digeſt. de cuſtod. reor. leg. qui ſententiam, Cod. de pœnis, l. 1. §. Divus*, & *§. ſi quis, digeſt. de quæſtion.* Nec huic ſententiæ adverſatur textus *in l. proinde 25. §. ult. ff. ad l. Aquil.* ubi aſſeritur in confitentem nullas eſſe partes judicati; hoc ita accipiendum eſt, ut judex in ferenda ſententia contra confeſſionem judicare non poſſit, ſed neceſſario ſecundum confeſſionem ſtatuere debeat, ut textum illum accipit Bronchorſt. *miſcel. cent. 2. aſſert. 46.* Jure canonico etiam poſt confeſſionem proceditur ad ſententiam, *c. præterea 10. §. reſpondemus, de tranſact. cap. cum ad Sedem, in fin. de reſtit. ſpol.*

8 An poſt confeſſionem detur nova actio. Deinde ſciendum eſt, inter confeſſum & judicatum adhuc in cauſis civilibus diſcrimen illud cognoſci, quod ſi quis fateatur ſe debere quod debet, aut ſe occidiſſe hominem, quem occidit, non naſcatur ex tali confeſſione nova actio, ſed antiqua maneat. Paulus *lib. 5. ſent. titul. 1.* Alia tamen cauſa eſt judicati, & jurisjurandi; eſt enim utriuſque actio propria. Ratio differentiæ inde naſcitur, quia per litis conteſtationem novatio inducitur, ideſt prior actio in actionem judicati transfunditur, *l. delegare 11. l. aliam 10. digeſt. de novat. l. 3. §. idem ſcribit, ff. de pecul.* Donellus *lib. 1. comment. cap. 20. & in l. 29. §. ſi a jure, ff. de verb. obl.* Cujac. *lib. 24. qq. Papin. in dict. l. aliam 29. & 27. ipſarum qq. in leg. 4. digeſt. de uſur.* Suarez *ad leg. Aquil. lib. 3. c. 5.* Oſualdus *ad Donell. lib. 5. comment. c. 43.* Gedeus *de contrah. ſtipul. c. 5. concluſ. 8. n. 6.* in confeſſione autem, quam quis fecit interrogatus, diverſimode hæc omnia procedunt; nam cum actor rem apud Prætorem deducit, & reus vel a Prætore interrogatus, vel ab adverſario, reſpondet, non fit aliqua litis conteſtatio, imo interrogationes fiunt in litis ingreſſu, ut inſtructior veniat actor ad agendum, *l. 1. §. Interrogatorii, ff. de interrogat.* ubi notavit Faber. Idem juris cernitur in juramento; nam ſi actori jusjurandum delatum ſit, & actor juraverit ſibi dari oportere, nova naſcitur actio in factum, *l. actori 8. Cod. de rebus creditis*; & prior actio novatur, ut aperte liquet *ex l. qui juraſſe 26. §. ultim. juncta leg. ſi ſervus 21. ff. de jurejur.* Ratio autem quæ novationem induxit, hæc eſt: quia delationi juramenti ineſt conventio de diſcedendo a controverſia, quaſi ſub hac conditione juratum ſit; proinde exiſtente conditione, nova naſcitur actio ex illo quaſi contractu, & prior illa, ex qua juravit actor, extinguitur, *dict. l. ſervus 25. l. qui juraſſe 26. §. ult. l. ult. ff. de jurejur. l. depoſiti 5. §. filius, ff. de peculio.* In confeſſione autem, quam quis facit interrogatus apud Prætorem, aliter ſe res habet; nam reus interrogatus, etiamſi confeſſus ſit, huic interrogationi non ineſt conditio de diſcedendo a lite, ſi reus inficiatur; ſit enim interrogatio ante litem conteſtatam, ut melius inſtruatur actor. Nec traditæ differentiæ inter cauſas civiles, & criminales obſtant textus *in l. Julianus 3. l. qui Stichum 5. ff. de confeſſis*, ubi doceri videtur, etiam in cauſis civilibus poſt confeſſionem deſiderari ſententiam condemnatoriam; nam eorum veram interpretationem tradunt D. Joann. Suarez *ubi ſupra* Donell. *libr. 28. comment. cap. 1.*

9 Traditur ratio decidendi. Quibus ſic conſtitutis, jam apparet vera ratio hujus deciſionis; nam cum convictus legitimo teſtium numero, inſtrumentis, aut præſumptionibus, damnandus ſit, ex regula textus *in c. nos in quemquam 2. quæſt. 1.* etiam confeſſus propter propriam confeſſionem eſt puniendus; nam quæ apertior eſt probatio delicti quam confeſſio? per eam enim quis fatetur reatum, & ſeipſum condemnat. D. Ambroſ. *ſerm. 50.* in illis verbis: „ Quem alter judicat, poteſt utcumque eſſe excuſabilis, reus autem ſine excuſatione eſt, qui conſcientiæ ſuæ judicio condemnatur: quem alter judicat, poteſt quandoque a ſuo judice ſperare indulgentiam; qui ſeipſum judicat, a quo indulgentiam poſtulabit?„ Sed delicta undecumque apparuerint, ſunt vindicanda, & punienda *cap. ecce autem 18. 24. qu. 3. cap. ſicut 6. de ſimonia.* Igitur tam confeſſi proprium reatum, quam convicti damnandi ſunt, & pœnis a jure ſtatutis afficiendi, cum in ipſis judices nullum arbitrium habeant, *d. l. proinde, §. ult.* docent Vega, Sahagun, & Balboa in præſenti; imo poſt delinquentis confeſſionem nullæ ſunt partes judicis, niſi ad condemnandum, *c. 1. c. Primates 2. q. 1. l. qui ſententiam, l. cum reus, C. de pœnis.*

Nec obſtant difficultates ſupra expenſæ. Non prima; nam 10 Reſpondetur difficultatibus.
omiſſis ſolutionibus traditis a Feliciano Vega *in præſenti, n. 50.* dicendum eſt, verum eſſe, in judicio criminali conſtare debere de corpore delicti, & de accuſatore, qui confeſſionem a reo extorqueat, ut delictum confeſſus in judicio damnetur, quod Alexander III. in præſenti non negat, dum enim confeſſum exæquat convicto, ſupponit, quod ſicut in convicto conſtare debet de corpore delicti, & aliis circumſtantiis, ita in confeſſo, tantum enim confeſſio, ut ſupra dixi, illud operatur, videlicet, ut habeatur pro convicto. Unde quæ ſequuntur in judicio circa convictum, & circa confeſſum, debent obſervari. Nec argumentum ipſius difficultatis adverſatur; nam omiſſa illa ſatis vexata quæſtione a repetentibus in rubricis de probationibus, utrum videlicet confeſſio ſit probatio, quam etiam diſputant Didacus Perez *in l. 5. tit. 8. lib. 3. ordin.* Duarenus *lib. 1. diſp. c. 27.* Donellus *lib. 1. diſp. cap. 27.* Donellus *lib. 25. comment. c. 6.* ubi Oſualdus *littera K*, idem in rubrica Codicis *de teſtibus*, dicendum eſt, verum eſſe confeſſionem probationem eſſe, & pleniſſimam; non tamen poſtea audiendus eſt confeſſus, niſi errorem, aut metum allegaverit: quæ defenſiones etiam poſt confeſſionem admittuntur, ut late probat Guazinus *ubi ſupra, cap. 26.* Nec ſecunda difficultas refragatur; nam convictus dicitur non ſolum qui teſtibus, verum & qui inſtrumentis, aut præſumptionibus convincitur, ut probat Azo a Rhamenguis *in d. cap. nos in quemquam, 2. quæſt. 1.* quare dum Alexander in præſenti aſſerit convictum eſſe damnandum, exaudiendus eſt de convicto aliquo ex prædictis modis.

Sed ſuperiori aſſertioni adverſatur textus *in cap. 76. Concil.* 11 Intelligitur c. 76. Concilii Illib.
Illiber. in illis verbis: „ Si Diaconus ſe permiſerit ordinari, & poſtea fuerit in crimine detectus mortis, quod aliquando commiſerit, ſi ſponte fuerit confeſſus: placuit eum acta legitima pœnitentia, poſt triennium accipere communionem. Quod ſi alius detexerit, poſt quinquennium, acta pœnitentia, accipere communionem laicam debere.„ Ex quibus deducitur, confeſſum in judicio non eiſdem pœnis plecti, ac punitur convictus; ſiquidem confeſſo pœnitentia per triennium injungitur; convicto vero per quinquennium imponitur pœnitentia. Pro cujus canonis expoſitione diſcrimen aſſignandum eſt inter confeſſum in judicio aliquo extorquente confeſſionem, & inter confeſſum voluntarie ſe deferentem; confeſſus enim, qui ſe ſponte defert, & delictum fatetur, mitius puniendus eſt, *c. non decatis 11. 12. q. 2. c. presbyteros, 50. diſt. c. in primis, verſ. ſi autem Epiſcopi, 2. q. 1. c. innotuit 20. in initio, de electione. c. ult.* & ibi Gloſſa, *de furtis, l. quiſquis 5. §. fin. C. ad l. Jul. majeſt. l. 1. C. de his qui ſe deferunt*: eleganter Tertullianus *de pœnit. c. 8.* illic: „ Tantum relevat confeſſio delictorum, quantum diſſimulatio exaſperat; confeſſio enim ſatisfactionis conſilium eſt, diſſimulatio contumaciæ; confeſſione præterea ſatisfactio diſponitur, confeſſione pęnitentia naſcitur; & ut pęnitentia Deus, ſic & judex pęnitentia mitigatur; eſt enim apud eos ſpontanea accuſatio, juſta excuſatio; ſpontanea damnatio, vero abſolutio.„ Concilium Toletanum 10. ubi Poſthumio Epiſcopo Bracharenſi, quia ſui lapſus libellum obtulit, licet antiqui canones eum honore privandum decernerent, tamen Patres propter ſpontaneam confeſſionem nomen, & honorem illi reſervarunt; quod etiam refert Baronius *anno 656.* Plura tradunt Simancas *de catholicis inſtit. tit. 55. num. 6.* Tiraquell. *de pœnis tempor. cauſa 50.* Mendoza *in d. can. 76.* Acunna *in d. c. presbyter, n. 3.* confeſſus autem delictum, aut quia tortor, ſive accuſator confeſſionem extorquerunt, non ita mitiori pęna eſt plectendus, ſed ſtatutis a jure pęnis eſt puniendus. Primo caſu procedit textus *in d. c. 76. Concil. Illiber.* ſecundo vero caſu procedit textus præſens.

Secundo adverſatur textus *in c. ſuper eos 5. de eo qui cogno-* 12 Intelligitur c. ſuper eo, de eo qui cognovit conſang. uxoris.
vit, ubi in eum qui confeſſus eſt crimen inceſtus, nulla ſtatuitur pęna, cum tot ſint ſancitæ in eum, qui convictus eſt hujus delicti, quas cumulant Vela *de delictis*, & plures congeſti a Pichardo *in manuduct. ad praxim crimin. verbo inceſtus.* Igitur quia confeſſus delictum non perinde punitur, ac convictus. Cui difficultati reſpondendum eſt, in eo textu non agi de vindicando inceſtus ſcelere, ſed tantum tractari, an propter confeſſionem inceſtus ab uno ex conjugibus factam, matrimonium quoad thorum eſſet diſſolvendum? Et aſſeritur propter confeſſionem inceſtus non eſſe conjuges ſeparandos, quia forſan ex malitia illud delictum falſo conjux ſibi impoſuit, ut docet Sanch. *de matrim. lib. 2. diſp. 45. n. 30.*

Ex ſupra traditis lucem accipit textus *in l. 2. C. de cuſtod.* 13 Intelligitur l. 1. C. de cuſt. reor.
reor. ubi ſtatuitur, ut poſtquam de delicto conſtiterit, reus apud acta reducatur, ut audiatur in judicio, defendaturque. Quem textum Gloſſa ibi, *verbo Deprehenſus*, accipit de reo in judicio confeſſo, & tamen non ſtatim damnatur. Igi-

tur quia confeſſus non exæquatur convicto, nec habetur pro condemnato. Cui difficultati varie Interpretes ſatiſfacere intendunt. Gloſſa ibi, *verbo confſiterit*, exiſtimat non eſſe credendum ſimplici, vel unicæ confeſſioni delinquentis, ſed neceſſario deſiderari geminatam confeſſionem: quod etiam tradit Gloſſa *in l. 1. ff. eod. tit.* & *in l. unic. ad medium, C. de confeſſis*. Sed hæc ſolutio refellitur facile; ſiquidem per confeſſionem in judicio factam, etiam non geminatam, probatur delictum, *leg. ſi confeſſus, ff. de cuſtod. reor. l. ſervos, Cod. ad l. Jul. de vi, l. qui ſententiam, Cod. de pœnis, l. ſi quis hoc genus, C. de Epiſcop. & cleric.* Etiam reſponderi ſolet, textum illum procedere, quando confeſſio facta fuit in tortura, quæ neceſſario requirit ratificationem ſpontaneam, *l. 1. §. Divus Severus*, & *§. ſi quis ultro, ff. de quæſtionib.* Sed hæc ſolutio divinationis vitio laborat, ſiquidem in eo textu nulla tormentorum mentio fit. Etiam reſponderi ſolet, non ſufficere confeſſionem rei, ut ipſe ſtatim damnetur; ſed debere conſtare prius delictum commiſſum eſſe. Sed hæc interpretatio repugnat verbis textus *in d. l. 2.* illic: *Cum de admiſſo confſiterit, pœnam carceris ſuſtineat, atque ita poſtmodum adductus apud acta audiatur*. Ex quibus liquet de delicto conſtare. Quare his, & aliis ſolutionibus omiſſis dicendum eſt, textum illum generaliter accipiendum eſſe, tam de reo convicto, quam confeſſo; ut conſtat ex illis verbis, *Deprehenſus confſiterit*, qui, ut ſupra dixi, non debet ſtatim condemnari, ſed per judicem legitimum tempus aſſignandum eſt ad allegandas, proponendaſque exceptiones, ſeu defenſiones, & interim debet in carcere detineri: quam interpretationem tradunt plures relati a Gomezio *variar. cap. 12, num. 3.*

§.

DE adulteriis vero, & aliis criminibus, quæ ſunt *a* minora, poteſt Epiſcopus cum clericis poſt peractam pœnitentiam *b* diſpenſare: ſed non debet quemlibet depoſitum pro ſuis exceſſibus (cum ſuo ſit functus officio, nec duplici debeat ipſum contritione conterere) judici tradere *c* ſæculari.

N O T Æ.

a M*Inora.*) Imo inter graviora enumerat adulterium Ulpianus *lib. ſingul. reg. tit. de dotibus, §. 9.* inter ſæviora recenſent Imperatores *in leg. 7. Cod. Theodoſ. de indulg. crimin.* & Clemens *in cap. quid in omnibus 32. qu. 7.* ait; *Quid in omnibus peccatis adulterio gravius eſt?* Et Sibylla Erithræa inter majora crimina enumerat illo verſu: *Non eſt adulterio majus ullum malum;* relato a Lactantio *de ira Dei, cap. 22.* faciunt quæ in hujus criminis deteſtationem cumularunt Tiraquell. *in l. 13. connub. num 26.* Æneas Robertus *lib. 1. rer. judic. cap. 14.* Anton. Auguſt. *in epitom. lib. 36. tit. 4.* Creſpetius *verbo Adulterium*, Mendoza *lib. 3. Concil. Illiberit. c. 19. & lib. 2. cap. 15.* Albaſpinus *lib. 2. obſerv. c. 17.* Anton. Matthæus *de crim. c. 4. num. 4.* & nos *in cap. 3. de adult.* Huic difficultati ut ſatisfaciat Cujacius *in tit. C. ſi a non competenti*, audacter affirmat, Alexandrum in præſenti male, & turpiter adulterium inter minora crimina recenſuiſſe. Anton. Matthæus *dict. num. 4.* nimis impudenter loquitur de noſtro Alexandro: ſed apage de tanto Eccleſiæ Præſule ſimile judicium ferre. Reverenter Baſilius *lib. 9. de matrimon. cap. 14.* affirmat adulterium grave delictum eſſe, inter minora vero recenſeri in ordine ad pœnam; quia cum aſſidue, & facile committatur, non imponitur clerico pœna degradationis, aut ſuſpenſionis, ut ipſe late probat. Sed his omiſſis ſolutionibus exiſtimo, Alexandrum III. in præſenti non ſupponere, nec aſſerere adulterium leve delictum eſſe, ſed tantum affirmare, quod Epiſcopus non poteſt diſpenſare in delictis majoribus, ut idololatria, homicidio, & aliis, quæ enumerat Ambianas *ad Tertull. de idololatr. cap. 2. obſervat. 1.* ſed tantum in adulterio, in quo committendo homines proclives ſunt, & in aliis minoribus ipſo adulterio; non autem illa verba, *aliis criminibus, quæ ſunt minora*, ſunt repetitiva adulterii, nec ex illis probatur eſſe delictum leve, ſed tantum quod ſicut in minoribus delictis Epiſcopus valet diſpenſare, ita in adulterio. Præſenſerunt Ritherurſius *de different. juris civilis & canon. lib. 6. cap. 4. §. quin.* Henellius *de dotalitio, cap. 10. §. 1.* unde quod ſectarius Daneus *lib. 2. Æthicæ Chriſtianæ, c. 14.* impingit Alexandro III. adulterium ab eo recenſitum fuiſſe inter peccata minora, calumnia eſt ſectario digna, & digna quæ depellatur.

b *Diſpenſare.*) Felicianus Vega, Balboa, & Fermoſinus in præſenti late diſputant, in quibus delictis poſſit Epiſcopus diſpenſare poſt peractam pœnitentiam? in qua quæſtione, ut certa ab incertis ſeparemus, præmittendum eſt, Alexandrum in præſenti agere de Epiſcooo diſpenſanre poſt ſententiam prolatam, & pœnitentiam peractam; ante ſententiam enim ſi pœna certa eſt a jure ſtatuta, non poteſt mutari, ut late probavi *in capit. de illis, de offic. delegat.* Poſt ſententiam vero licet jure Cæſareo attento non poſſit pœna minui, vel augeri, *l. mortis, §. iſti, l. Divi, ff. de pœnis*, jure Pontificio contrarium obſervatur, ſi enim per accuſationis modum pœna non minuitur, at vero per inquiſitionem etiam poſt ſententiam minui poteſt, *cap. inquiſitionis, de accuſat. cap. ut commiſſi, §. necnon, de hæretic. lib. 6.* Affirmat ergo Alexander, poſt ſententiam prolatam, & pœnitentiam peractam poſſe Epiſcopum reſtituere clericum, ob adulterium, vel minora crimina depoſitum, verbaliter tantum, non actualiter, niſi ſit reſtitutio denegata, ut *in cap. ſi quis Presbyter, 7. q. 1.* aut Epiſcopus depoſitus ſit, qui tantum a Pontifice reſtituitur, *cap. ideo huic, 2. quæſt. 6.* nec deſideratur Capituli conſenſus, licet olim expectaretur, *capit. fin. 1. quæſt. 5. cap. Epiſcopus 17. qu. 1. cap. ſi quis 4. 81. diſtinct.* ita enim conſuetudine contraria receptum eſt, *cap. ea noſcitur, de his quæ fiunt a Prælat. cap. 3. de conſuetud. lib. 6.* & defuncto Epiſcopo, Capitulum ſuccedens in ejus juriſdictione poteſt diſpenre in prædictis caſibus, argumento capitis *olim, de majorit. & obed.* diſpenſare autem Epiſcopus non valebit, cum depoſitio inflicta eſt a Concilio generali, aut talis facultas illi denegata eſt, ut *in capit. 1. in fine, de elect. in 6. cap. 1. de temporibus ordin. eod. lib.* docent Baſilius *de matrim. lib. 8. cap. 7.* Angujanus *lib. 2. controv. de legibus, cap. 3.* Prado *tom. 1. Theolog. moral. cap. 4. de legibus, qu. 4. §. 2.* qui late probant Epiſcopum in omnibus illis caſibus diſpenſare poſſe, in quibus expreſſe illi conceſſum dicitur; nec ſufficere negativum, quod non prohibeatur.

c *Tradere ſæculari.*) Hæc verba exponemus *in cap. cum non ab homine, hoc tit.*

C A P U T V.

a Idem.

CEterum quia quandoque, ſicut accepimus, qui a te terras, vel poſſeſſiones alias tenent in feudum, licet ſuper feudis illis coram te ſtare juſtitiæ ſint parati, ſine judicio & cauſa rationabili excommunicationis, ſeu interdicti ſententia feriuntur: volentes in poſterum ſuper hoc tibi, & eiſdem hominibus providere, præſenti ſcripto diſtrictius prohibemus, ne de cetero id permittas, donec fuerint ſuper feudis illis in tua præſentia reſpondere parati, & in eis ſine malitia, & fruſtatoriæ dilationis obſtaculo voluerint juſtitiam exhibere. Quod ſi fuerit a quoquam temerario auſu præſumptum, liceat tibi eamdem ſententiam ſublato appellationis remedio revocare. Nulli ergo hominum fas ſit hanc paginam noſtræ conceſſionis, &c.

N O T Æ.

1 a I*Dem.*) Ita enim legitur in prima collectione, *ſub hoc titul. cap. 7.* ſed reſtituenda eſt in hunc modum. Alexander III. Epiſcopo Tornacenſi *ex cap. eam te, de reſcriptis*: cujus deciſionis fragmentum reperitur in hoc textu, ut jam notavit Cujacius in præſenti; ex quo ſpecies hujus textus ita reponenda eſt: Quidam, quos jure feudi certum erat poſſidere prædia Eccleſiæ Tornacenſis, quamvis non a præſenti Epiſcopo, ſed a prædeceſſore conceſſa eſſent, ſuper iiſdem feudis inter ſe contendebant, & actoribus reos provocantibus ad ſuum Epiſcopum, cum rei nollent apud eum reſpondere coram Epiſcopo, a quo ea feuda tenerent, ejuſque ſententia obtemperare, ob id a ſuo Epiſcopo, coram quo nolebant reſpondere, non cognita, aut non bene perpenſa cauſa, excommunicati ſunt tamquam contumaces, & ſacris interdictum eſt univerſis hominibus, qui in agris, & villis commorabantur: qua de re conſultus Alexander III. ab Epiſcopo Tornacenſi, reſcripſit id eum ſuſtinere non debere, imo ſententiam excommunicationis, vel interdicti latam ab Epiſcopo, cujus litigatores diœceſani erant, irritare, & ſuos vaſſallos, ſeu feudatarios abſolvere poſſe. Hactenus facti ſeries.

COMMENTARIUM.

EX hac deciſione communiter deducitur ſequens concluſio: 2 Probatur Concluſio.
„ Vaſſalus, etiamſi clericus ſit, ſuper feudo conveniri, „ & comparere debet coram Domino feudi, *Probant eam textus* in cap. novit, verſ. Non enim, de judiciis: cap. ex „ tranſmiſſa, cap. verum, de foro compet. cap. Romana, §. „ debet, de appellat. lib. 6. capit. 1. de controverſ. inter „ Epiſcop. & vaſſalum, c. Imperialem, ad finem, verſ. præterea, de prohibita feudi alienatione per Fredericum, l. 1. l. „ ultima, tit. 26. partit. 4. „ Illuſtrant ultra congeſtos in præſenti a Barboſa, Granna, & Fermeſino, idem Barboſa *lib. 1. juris Eccleſ. c. 39. §. 1. num* 149. Cujacius *in præſenti*, & *in dict. cap. ex tranſmiſſa*, Fachineus *lib. 2. controverſ. c. 10.* Duarenus *de feudis, c. 20. & 21.* Paz *in l. 34. ſtyli*, Tondutus *de prævent. pag. 1. c. 11.* Parexa *de inſtrument. edit. tom. 1. tit. 5. reſolut. 9. n. 62. & tit. 6. reſolut. 9. n. 67.* Suarez *adverſus Regem Angliæ, c. 14. n. 12.* Alteſſera *de feudis, c. 12.* Solorzanus *t. 1. de jure Ind. lib 2. c. 28. num. 15.* Chriſtineus *tomo 1. deciſ. 296.* Melchior Kling. *in præſenti*, Amadeus a Ponte *in q. quis ſit judex in cauſa feudi*, Arniſeus *de jure majeſt. c. 5. n. 6.*

3 Impugnatur concluſio. Sed hæc aſſertio principiis juris adverſari videtur, ſiquidem ex juris regulis actor forum rei ſequi debet, *c. cum ſit generale 8.* ubi latius probabo, *de foro compet.* Igitur vaſſalli non coram Domino feudi, ſed coram proprio Epiſcopo conveniri debent. Deinde, nam quid certius in jure, obviumque in hoc titulo, & ſequenti, quam clericos eſſe conveniendos coram judice Eccleſiaſtico, non vero coram ſæculari, qui in eorum cauſis incapax eſt, *c. clerici, hoc tit. c. 1. & 2.* cum vulgatis, *de foro comp.* Igitur non recte docetur in præſenti, vaſſallum clericum conveniendum eſſe coram Domino feudi, etjam laico. Augetur ſecundo hæc dubitandi ratio ex eo, quia perperam ſupponitur, clericum vaſſallum eſſe, feudumque retinere poſſe; cum certum ſit, clericos in feudis non ſuccedere, *c. 1. §. ex hoc, de feudo femin. c. 1. §. qui clericus, ſi de feudo defuncti contentio ſit*; quia qui implicatur divinis miniſteriis, non poteſt Domino ſervitia perſonaliter impendere, *c. unic. de vaſſall. milit.* quia & hi militare nequeunt, nec ſe negotiis ſæcularibus immiſcere, ut diſponitur in titulo de vaſſallo, qui clericus effectus eſt: docent Piſtor. *cap. 2. q. 33.* Myſingerus *centur. 5. obſerv. 48.* Afflictis *deciſ. 320.* Bronchorſt. *centur. 2. aſſert. 87.* fuſe Solorzanus *tom. 2. lib. 2. c. 5. n. 16.* Igitur non recte in præſenti ſupponitur, clericum in feudo ſuccedere poſſe. Fulcitur tandem ratio hæc dubitandi *ex cap. 1. §. ſi tres vel plures, in tit. de pace tenenda, lib. 2. feudor. cap. 1. §. ſi autem, de lege Conradi, eodem lib.* in quibus ſtatuitur, quod ſi vaſſallus aliquis ab altero ſuper re feudali conveniatur, non coram Domino feudi, ſed coram judice ordinario loci, ſeu ſaltem coram arbitrio cauſa diſceptari debet: igitur non recte aſſerimus, inter vaſſallos in cauſis feudi dominum tantum judicem competentem eſſe.

4 Traditur ratio decidendi. Qua difficultate ita fulcita, non obſtante, vera eſt præſens deciſio, pro cujus ratione capeſſenda, omiſſis feudi definitione, diviſione, & ſubſtantia, quas dabimus *in cap. 1. de feudis*, & tradunt David Argente *de feudis rebellis, eodem tract.* Petrus Gregorius *lib. 6. ſyntag. c. 6.* Benegerus *in Tacitum q. 71.* Bronchorſt. *centur. 2. in fine*, Cujacius *in notis ad libros feudor.* Gibalinus *de uſuris, part. 2. lib. 4. c. 3. per tot.* Valaſcus *de jure emphyt. part. 1. q. 39.* Dadinus Alteſſerra *lib. 1. de feudis*: ſciendum eſt, apud Germanos primum in uſu eſſe cœpiſſe, a quibus poſtea Galli, Hiſpani, & aliæ nationes acceperunt, non tam lege ſcripta, quam moribus utentium, tacitoque populorum conſenſu; unde varii, nec uniformes fuerunt; quare quo facilius uſitarentur, & retineri poſſent, ſcripti fuerunt a Gerardo Nigro, & Alberto de Otho, Conſulibus Mediolanenſibus, tres priores libri feudorum, quartus a diverſis antececeſſoribus Univerſitatis Papienſis, quintus vero continet novas conſtitutiones Imperatorum, Lotharii videlicet, Conradi, Henrici II. V. VI. & VII. item Friderici I. & II. unde cum totum feudorum jus ex conſuetudine cujuſque Provinciæ ſit petendum, quare prædicti libri feudorum dicuntur conſuetudines, & uſus feudorum; ideo nullus alius rectius poterit contentiones inter vaſſallos ſuper feudis ortas decidere, & terminare, quam dominus ipſorum; unde recte in præſenti juxta prædictas feudorum conſuetudines docet Alexander III. de quæſtione feudali inter vaſſalos orta dominum cognoſcere debere, nec inſolens eſt in jure noſtro, ut privatis perſonis propter peritiam, promiſcuumque uſum negotiorum, juriſdictio privata concedatur, ut contingit in mercatoribus, ſeu artificibus, qui in controverſiis ſuper negotiatione, aut artificio juriſdictionem exercere valent, *l. conſulta 23. C. de teſtamentis, l. 3. C. de fabricenſibus, lib. 11. l. quicumque 2. Cod. de exeq. lib. 12.* apud nos eſt lex unica, *titul. 13. lib. 3. recop.* Recte ergo virtute conſuetudinis poteſt dominus feudi exercere juriſdictionem in proprios vaſſallos circa feudi controverſias, ſi autem negligens fuerit in juſtitiæ adminiſtratione, judex ordinarius adeundus eſt, qui ſuppleat domini negligentiam, ut plerumque contingit in aliis judicibus etiam ordinariis, *capit. ex tenore*, ubi notavi, *de foro compet.*

5 Reſpondetur difficultatibus. Nec obſtat difficultas ſupra adducta, nam ex eo quod vaſſalli ſuper feudo diſceptantes conveniantur coram domino feudi, non infringitur regula textus *in dicto c. cum ſit generale*; quia cum dominus rei feudalis virtute conſuetudinis, & uſus feudorum ſit judex competens inter ipſos vaſſallos, ideo tamquam judex proprius poteſt cognoſcere de dictis controverſiis. Nec obſtat quod dicebamus, clericum etiam vaſſallum propter fori privilegium non poſſe conveniri coram Domino laico; nam in hoc caſu clerici non gaudent privilegio fori, ſed coram domino feudi conveniuntur, non virtute poteſtatis civilis, quam in clericos habeat, ſed condonationis, & relaxationis factæ per conſtitutiones canonicas, prædictis uſibus feudorum conſonas: nec in hoc caſu alicui privilegio exemptionis locus eſt, quia natura cauſæ feudalis trahit ad ſe perſonam, & non perſona naturam cauſæ, ut docuerunt Baldus *ſuper feudis, c. 1. n. 4.* in illis verbis: Ultra quæro de aliqui- „ bus, numquid ſi vaſſallus eſt clericus, pares erunt ejus ju- „ dices? Reſpondeo ſic, propter naturam cauſæ; nam natura „ trahit ad ſe perſonam, non perſona naturam. " Quem ſecuti fuere Andreas Gail. *practic. obſerv. lib. 1. obſerv. 37. n. 3. in fine*, plures congerens Anton. de Amato *variar. reſol. t. 2. reſol. 86. n. 55. & 56.* Amadeus Aponte *ſub tit. quis ſit judex competens in cauſa feudi, n. 27. in fine*, & *n. 28.* ibi: „ Ex his obiter notandum eſt, fortiorem eſſe aſſertionem cauſæ, & magis impeditivam cognitionis, quam perſonarum; cauſæ enim natura quoad jus fori principaliter inſpicienda eſt. " Baldus *in dict. authent. clericus, in 2. notabili*; atque etiam naturam cauſæ trahere ad ſe perſonam clerici, non e contra: cenſet Annet. *de feud. lib. 1. c. 1. in fine*. Nec obſtat aliud difficultatis augmentum deductum ex eo, quod clerici in feudis non ſuccedant: nam licet ea ſententia vera ſit, tamen clerici recte feudum accipere ab initio, & poſſidere valent; nam quilibet, qui de rebus ſuis ſit moderator & arbiter, gratiam facere rei ſuæ poteſt quibus vult: unde datur caſus in quo clericus poſſit feudum obtinere, non virtute ſucceſſionis, ſed propriæ conceſſionis: docet Bronchorſt. *dict. aſſert. 83.* Nec obſtat ultimum argumentum deductum *ex d. c. 1. ſi tres, de pace tenenda*, pro cujus ſolutione ſequentes caſus diſtinguendi ſunt: ſi enim inter majores vaſſallos de feudo regali, veluti Ducatu, vel Comitatu agatur, cognitio eſt Principis, *c. tuam 3. de ordin. cognit.* Si autem quæſtio ſit de feudo inter dominum, & vaſſallum, de inveſtitura, fellonia, vel ſimili caſu, per Pares Curiæ lis terminabitur, ut cavetur *lib. 2. feudorum, titul. 55.* & factum narrat Valdricus *lib. 3. c. 75.* Si vero inter duos vaſſallos lis diſceptetur de feudo, aut aliqua re ad feudum pertinente, dominus adeundus eſt, ex præſenti textu & conſtitutione Friderici, de qua Guntherus *lib. 8. Ligur.*

Inter vaſſallos unius forte patroni
Quæſtio de feudo quoties agitatur, eodem
Quo fundi domino gaudent, hoc judice certent.

Ex variis exemplis illuſtrat Dadinus Alteſſerra *de feudis c. 12.* niſi Dominus ſuſpectus ſit; tunc enim cognoſcunt Pares Curiæ, aut judex ordinarius, *d. lib. 2. tit. 15. & tit. 46.* quod etiam procedit, quando lis feudalis ſpectat ad ipſum Dominum; quo caſu procedit textus *in d. §. ſi tres*: docet Duarenus *de feudis c. 20.* Manet ergo, regulariter dominum feudi judicem competentem eſſe inter vaſſallos, etiamſi clerici ſint, ad quos poteſt feudum pertinere, ſi dominus, poſtquam vaſſallus clericus factus eſt, eum ſinat feudum retinere, aut Princeps ipſum ad feudum habilem clericum reddiderit: quod & in præjudicium agnatorum facere poſſe, probat Marinis *lib. 2. reſolut. c. 46.* vel ſi feudum nullum ſervitium requirat, vel tale quod per ſubſtitutum expediri poſſit, ut in caſibus relatis a Bobadilla *lib. 2. polit. c. 18. n. 110.* Menoch. *de arbitr. lib. 2. cent. 3. caſu 231. num. 48.* Vultejo *de feudis, c. 4. num. 9.* Julio Claro *§. feudum, qu. 78.* Solorzano *ſupra, num. 22.*

Sed ſuperiori aſſertioni adverſatur textus *in c. verum 7. de foro compet.* in illis verbis: *Ex quo Epiſcopus fuerit in Eccleſia conſecratus*. In quibus docetur, Epiſcopum ex eo tempore, ex quo conſecratus in Eccleſia eſt, poſſe de feudis ipſius cognoſcere. 6 Exponitur c. verum 7. de foro compet. Igitur quia feudalis cauſæ cognitio non ſemper ſpectat ad dominum. Pro hujus textus interpretatione repetenda ſunt, quæ adduxi *in c. tranſmiſſam 15. de elect. num. ult.*

Secundo adverſatur præſenti aſſertioni textus *in c. ex parte 15. de foro compet.* ubi intra exceptiones propoſitus a Guillelmo contra litteras impetratas a Regina, illa præcipua opponebatur, videlicet caſtrum, de quo lis vertebatur, in feudum datum fuiſſe, 7 Exponitur c. ex parte de foro compet. unde cauſa illa non coram judicibus a R. Pont. datis, ſed coram domino feudi erat diſceptanda; & nihilominus deciditur, judices in reſcripto deſignatos debere in cauſa procedere. Igitur quia in cauſis feudalibus dominus feudi judex competens non eſt. Pro hujus difficultatis ſolutione Gloſſa in præſenti, & *in d. c. ex parte*, & alii relati a Fachineo *d. lib. 7. controverſ. capit. 100.* diſcrimen conſtituunt inter caſum, in quo de feudi, ſeu rei feudalis poſſeſſione agitur, & inter eum, in quo ſuper proprietate lis vertitur. Primo caſu dominum non eſſe adeundum affirmant: ſecundo vero ad ipſum cognitionem ſpectare, quoniam poſſeſſio a proprietate differt, *l. naturaliter, §. nihil commune, ff. de acquir. poſſeſſ.* Sed hoc eſt cavillari verba conſtitutionis Friderici, & aliarum, quas ſupra adduximus; cum enim in eis generaliter aſſeratur de feudo apud dominum controverſiam eſſe terminandam, idem de poſſeſſione intelligitur; cum idem debeat eſſe judex proprietatis, & poſſeſſionis, *l. nulli, C. de judic. cap. 1. de cauſa poſſeſſionis*, docent Duarenus *d. c. 20. de feudis, n. 7.* Jus Clarus *§. feudum, q. 90.* Quare hac ſolutione omiſſa, placet ſententia Panormitani *in eo textu, n. 14.* & aliorum, quos refert & ſequitur Fachineus *d. c. 100.* qui affirmant, textum illum ſpecialiter procedere eo caſu, quo vidua opprimitur in feudi poſſeſſione, contenditque cum potenti adverſario; nam hoc caſu poteſt vidua detentorem convenire, ex rationibus adductis *in c. ex tenore de foro compet.* Unde *in d. c. ex parte*, exceptio prædicta a Guillelmo oppoſita rejicitur, non quia de cauſa poſſeſſionis alius quam feudi dominus cognoſcere poſſit, ſed quia Regina vidua ſpoliata erat, contendebatque cum potentiori adverſario; unde coram judice eccleſiaſtico eum convenire poterat, cujus proprium eſt viduarum cauſas magno proſequi favore, ut probatur *in d. c. ex tenore*.

Tandem adverſatur textus *in c. novit 13. de judiciis*, in illis 8 Exponit c. novit, de Judiciis.
verbis: *Non enim intendimus judicare de feudo, cujus ad ipſum ſpectat judicium*: ubi cum agatur de feudo inter Regem Galliæ, & vaſſallum, videlicet Regem Angliæ, docetur ad Regem Galliæ cognitionem pertinere, licet ratione peccati Pontifex cognoſceret. Igitur quia etſi lis feudalis vertatur inter dominum, & vaſſalum, cognitio ſpectat ad dominum feudi. Cui difficultati ut ſatisfaciat Panormitanus, in eo textu varias affert ſolutiones: *n. 21.* affirmat cauſam feudi eo textu fuiſſe agitatam inter vaſſallos, unde ad Dominum feudi mero

jure

jure cognitio ſpectabat. Quæ ſolutio manifeſte convincitur ex textus ſerie, ex qua conſtat, inter Regem Galliæ ex una parte, & Regem Angliæ ex altera, litem agitatam fuiſſe. Secundo ipſe Panormitanus aſſerit verba, *ad ipſum judicium*, eſſe intelligenda de Curia ipſius Regis, ita ut cognitio ipſius cauſæ feudalis ſpectet ad Patres, ſeu Senatores ipſius Curiæ. Sed his interpretationibus omiſſis dicendum eſt, quod licet cum de feudo diſputatur inter Dominum, & vaſſalum, Dominus ipſe cognoſcere non poſſit; tamen cum Dominus regali fulget dignitate, ipſe Rex adeundus eſt, *lib. 1. feud. tit. 8. & lib. 2. tit. 38.* docet Duarenus *d. c. 20. num. 5.* unde cum *in d. c. novit*, Rex Galliæ veſtituram feudi fecerit, ideo ad ipſum ſpectare feudi cognitionem affirmat Innocentius.

C A P U T VI.

Alexander III. a *Exon. Epiſcopo, & Decano Londin.*

Dilecti filii noſtri Prior, & Canonici de Giſerbana gravem admodum, & difficilem nobis querimoniam tranſmiſerunt, quod venerabilis frater noſter R. *b* Eboracenſ. Archiepiſcopus, & A. S. L. eumdem Priorem poſt appellationem ad nos factam ſuſpendit, & Eccleſias ſuas interdixit; & Canonicos, ſi eidem tamquam Priori obedirent, excommunicatos denuntiavit. *Et infra*: Super quibus omnibus rei veritatem per idoneas perſonas, & famam loci ſolicite inquiratis; & ſi ita eſſe inveneritis, Eccleſiarum conceſſiones taliter factas, niſi Prior, & Canonici malitioſe diſtulerunt eas, quantum ad ſe pertinet, ordinare, nullius ap. ob. revocetis auctoritate noſtra in irritum, & Priori, & Canonicis Eccleſias ipſas reſtitui faciatis; & tam vicarios, quam juratos eorum Canonicorum juramentum priſtinum ſervare cogatis, niſi forte fuerit a Priore inique extortum. *Et infra*: Proviſuri attentius, ne ita ſubtiliter, ſicut a multis fieri ſolet, ejuſmodi *c* actio intendatur, inquiratis, ſed ſimpliciter, & pure factum ipſum, & rei veritatem ſecundum formam canonum, & SS. Patrum inveſtigetis.

N O T Æ.

1 a *Exon.*) Ita reſtituenda eſt inſcriptio hujus textus *ex c. 1. de appell.* ubi extat ejus prior pars; integra vero Decretalis *reperitur in c. 1. de appell. in 1. collect.* & poſt Conc. Later. *par. 10. c. 1.* De Exonienſi, & Londinenſi Eccleſiis egi *in c. 6. de filiis presb.*

2 b *R. Eborac.*) Rogerius videlicet, qui Legatus miſſus fuit in Scotiam ab Alexand. III. ut excommunicationem proferret in Regem ejuſque Regnum interdicto ſubjiceret, niſi Joannem Scotum legitime electum in Primatem S. Andreæ ſuſciperet; quam legationem narrat Baronius *anno* 180. Archiepiſcopus autem Eboracenſis ratione propriæ dignitatis eſt Legatus natus Sedis Apoſtolicæ, ut probat Cironius *l. 1. obſerv. c. 7.*

3 c *Actio.*) Actionem in præſenti omnes accipiunt pro formula, qua quis adverſus alium in judicio experitur; ut ſi agat ex cauſa emptionis, intendat actionem ex empto; ſi de locato, actionem locati; ſi ex depoſito, depoſiti; ſi pro legato, actionem ex teſtamento: & affirmant ex hoc textu non teneri actorem nomen actionis, quam intendit, exprimere, ſed ſufficere factum narrare, & proponere, ut qui emit, referat emptionem fuiſſe celebratam, remque illi non eſſe traditam: non tamen neceſſe habere concludere, ſe intendere actionem ex empto; & hoc Alexandrum III. in præſenti reſcribere omnes tam juris Cæſarei, quam Canonici interpretes docent: ſed, ni fallor, nullo modo Alexand. III. hoc ſtatuere intendit, quod ut facilius percipiatur, quæſtionem illi propoſitam perpendamus. Prior, & Canonici de Giſeburna, Ordinis D. Auguſtini, ſuper certa cauſa a ſententia lata a Rogerio Archiepiſcopo Eborac. provocarunt ad Alexandrum III. ſed ipſe Archiepiſcopus appellatione pendente Priorem ipſum excommunicavit, in ejus Eccleſia interdictum appoſuit, & beneficia, quorum collatio ad ipſum Priorem ſpectabat, contulit. Alexander III. cauſam commiſit Bartholomæo Oxonienſi Epiſcopo, & Decano Londinenſi, ut quicquid attentatum eſſet poſt appellationem interpoſitam, irritum declararent, proviſuri attentius ne ſubtiliter hujuſmodi actio intenderetur, ſed ſimpliciter, & pure factum inquirerent, & inveſtigarent: in qua Decretali libenter inquirerem, ubi eſt actio certa, quæ intentatur, aut cujus nomen deſignari poſſit? Actio igitur in præſenti accipitur pro negotio ipſo, ſeu cauſa, quæ in judicio tractabatur, ut accipitur *in l. ſi tibi, digeſt. de adopt. l. ſi quis presbyt. C. de Epiſcop. & cleric.* docuerunt Alberic. *in dictionario, verbo Actio*, Pratejus *eodem verbo*, Budeus *in notis ad Pandect. in dict. l. ſi tibi, digeſt. de adopt.* unde mens noſtri Alexandri ea profecto eſt, ut judices delegati non negotium, ſeu cauſam ſubtiliter inquirerent, ſed factum ipſum, & rei veritatem inveſtigare curarent: ſed quia communiter, ut dixi, ex hoc textu deducitur, non eſſe neceſſarium in judicio exprimere nomen actionis, ideo juxta eam communem acceptionem concluſionem examinabimus.

COMMENTARIUM.

4 *Concluſio proponitur & probatur.* Ex hoc textu talis deducitur aſſertio: *Nomen actionis in judicio proponere actor non cogitur, debet tamen factum clare exprimere.* Probant eam textus *in l. ſi mater 11. l. an eadem 14. §. actione, digeſt. de except. rei judic. l. 2. C. de formulis & impetrat. l. fin. Cod. de annali except. l. edita 3. Cod. de edendo, authent. offeratur, C. de litis conteſt. l. quoties, C. de dignit. l. 12. c. fin. de libelli obl. c. Abbate, de re judic. in 6.* conſonant de jure regio, lex 40. *tit. 2. partis. 3.* lex 4. *tit. 2. lib. 4. recopil.* Illuſtrant ultra congeſtos in præſenti a Vega, Cavallerio, Barboſa, Garanna, & Fermoſino, Melchior Kling. *in præſenti* Donellus *l. 23. commentar. c. 4. & in dict. l. edita 3.* Morla *in empor. tit. 1. qu. 8.* Guttierez *lib. 1. practic. queſt. 98. cum ſequentibus.* Pichardus *in rubr. de actionibus, num. 12.* Ludovicus Vitalis *l. 1. var. c. 1.* Duarenus *ad titul. ſi certum petatur, c. 6.* Antonius Matthæus *in collect. Pandect. diſp. 9. de judic. n. 35.* Vultejus *de judiciis l. 2. c. 4. num. 74.* Gilkenius, Giſanius, & Ferretus *in dict. l. edita 3.* Merenda *l. 3. controv. capit. 16.* Bronchorſt. *miſcel. centur. 2. aſſert. 55.*

5 *Impugnatur hæc concluſio.* Sed hæc aſſertio rationi & juri, tam Cæſareo, quam Canonico contraria eſt; rationi, ſiquidem æquum, & juſtum eſt, ut reus in judicio conventus agnoſcat actionem, qua convenitur, ut deliberet, an cedere, vel contendere velit, *l. 1. ff. de edendo*, ne poſtea juris ignorantiam allegare poſſit, *l. 2. ff. de juris & facti ignor.* unde vulgo traditum eſt, ſine actione neminem poſſe adverſarium ad judicium trahere, *l. ſi populi 6. §. videamus, ff. de negot. geſtis, l. quoties 10. §. item ſi, ff. de adminiſtr. tut. l. fin. C. de edict. D. Hadriani*, late docent Gomez *lib. 3. var. c. 11. n. 24.* Paz *in praxi, 3. tom. in init. n. 5.* Utique etiam juri contraria eſt, ſiquidem *in c. experientiæ 11. q. 1. capit. octava, 11. q. 2. capit. examinata 11. hoc titul. c. 1. de mutuis petit. l. omnes 31. §. fin. Cod. de Epiſc. & Cler. l. fin. Codic. de interdict.* probari videtur, nomen actionis, quæ in judicio intenditur, exprimi debere. Igitur non recte juxta communem interpretationem in præſenti aſſeritur, actionis nomen neceſſario exprimendum non eſſe in judicio.

6 *Judicii forma apud Romanos.* Hac dubitandi ratione non obſtante, ut præſentis deciſionis rationem eruamus a juris civilis politia, a qua fere omnis judiciorum pars hoc libro 2. Decretalium comprehenſa, mutuata eſt, veterem judiciorum formam, moremque apud Romanos receptum a tempore legum duodecim Tabul. repetamus, eo enim tempore licebat actori reum, ſeu adverſarium in jus, ideſt coram Prætore, qui jus dicturus erat, *§. final. Inſtitut. de pœna temere litig.* ut exponunt Goveanus *lib. 1. variar. c. fin.* Donellus *lib. 23. comment.* ubi Oſualdus *litt. O*, ſive ad locum, in quo jus redderetur, quem juris appellatione comprehendi docetur *in l. pluribus, digeſt. de juſtit. & jure*, Vultejus *lib. 1. diſp. cap. 1.* Eginarius Varo *in lib. 1. digeſt. de in jus vocand.* Quintannadvenas *de juriſdict. lib. 1. titul. 4. n. 7.* vacare & trahere, *l. plerique, digeſt. de in jus vocand. l. ſi vero 5. §. 1. digeſt. qui ſatiſdare*, Plinius *in paneg. ad Trajanum*, illic: *In jus veni, ſequere ad Tribun.* Obſervarunt Ottomanus *d. v. ſ. verbo Atteſtari, & ad leges 12. Tabul. cap. 9.* Faber *in l. 1. digeſt. de in jus vocando*: aliquando tamen ut contentionum, rixarumque occaſio vitaretur, Prætoris auctoritas interponebatur: textus ita intelligendi *in l. ultim. ſi quis ex alieno 5. digeſt. de judic. l. 2. digeſt. de in jus vocando*: qua de cauſa docet Robertus *lib. 3. ſentent. cap. 1.* hunc morem olim interdum non ſervari, frequentius tamen ſine ullo apparitore actorem reum in jus vocaſſe, ut liquet ex textu per argumentum ab ſpeciali *in l. 4. §. Prætor, digeſt. de in jus vocand.* notant Briſſonius *lib. 1. de formul.* Vultejus *lib. 1. diſcept. capit. 1.* Oſualdus *dict. littera O.* Treutl. *volum. 1. diſp. 4. de in jus vocand.* ubi Bachovius, & Hunnius. Reus ita in jus vocatus tenebatur ſtatim actorem ſequi ex lege XII. Tabul. ita concepta: *Sin jus vocat, queat.* Cicero *lib. 2. de legibus*, non longe a principio: *Lege jus eſt, id quod jus populi ſancitum eſt, quod genus, ut in jus eas, cum voceris.* Ad quam legem referendi ſunt textus *in l. plerique 18. l. ſed 20 de in jus vocando*: notarunt Jacob. Gothofr. *tabula 1.* Cujacius *lib. 7. obſerv. cap. 16.* Laxato tamen hoc juris rigore, Prætor edixit reum in jus vocatum poſſe venire, aut ſatiſdare, juxta rubricam Digeſti, in jus vocati ut eant, aut ſatis, vel cautum dent: notavit Pancirola *lib. 1. variar. c. 33.* & hæc cautio, ſeu promiſſio ſtandi in judicio dicebatur vadimonium, a vade, hoc eſt fidejuſſore; ut ex Varrone, & aliis obſervant Petr. Gregorius *lib. 23. ſyntagm. c. 6.* Cujacius *lib. 10. obſerv. c. 10. & in l. ait Prætor, §. item, ff. de minor.* Budeus *in l. 2. verb. Vindicis, ff. de orig. jur.* Fidejuſſor judicio ſiſti, dicebatur etiam vas, quia qui eum dederat, vadendi facultatem obtinebat, teſte Revardo *ad leges 12. Tabul. c. 5.* tunc præſtita cautione, & utriuſque partis conſenſu, dies aſſignabatur, quo in judicium venirent. Gudelinus *de jure noviſſimo, lib. 4. c. 5.* ob eamque cauſam dies condictus dicebatur, ut tradit Donellus *lib. 3. comment. c. 2.* Quod ſi reus ad præſcriptum diem non venerat, committebatur pœna deſerti vadimonii, ut innuit Conſultus *in l. ſi duo 5. §. ult. ff. ſi quis caut.* teſtaturque Cujacius *lib. 12. obſerv. c. 12.*

7 *Proſequitur judicii forma.* Sed ſi reus neque ad judicium venire, nec idonee cavere vellet, poterat actor in eum manum injicere, & ut ajunt interpretes, obtorto collo in jus rapere, ut apparet ex Lege XII. Tabul. reſtituta a Jacobo Gothofredo *tabul. 1.* in illis verbis: *Nit! Anteſtamino, igitur em capito, ſi calvitur, pedemve ſtatuit, manum, endo jacito.* Verba, *ſi calvitur*, explicat Gajus *in l. ſi calvitur, digeſt. de v. ſ.* alia exponunt Forner. & Gentilis *in d. l. calvitur*, Marſilius, Revardus, Balduinus, & Gothofredus *ad l. 12. Tabul.* Oſualdus *lib. 1. comment. c. 20.* Goveanus *lib. 1. var. c. 32.* & adverſus eum, qui in jus vocatum vi eximebat pœna edicto Prætoris propoſita fuit, *l. 1. ff. ne quis eum qui, in jus vocatus, l. 4. ff. ad l. Jul. de vi privata.* Jacob. Gothofredus *animadv. c. 1.* diverſa tamen pœna conſtituta erat in eum qui impediebat, quominus qui caverat, judicio ſiſteret, *l. 1. ff. de eo per quem factum erit*, ubi poſt Cujacium notat Bachovius *in notis ad Vveſembechium.* Ex dictis verbis, *Anteſtamino, igitur em capito*, deducitur actorem debere ſuæ vocationis teſtes adhibere, alioquin ſi ſtatim manuum injiceret in reum, obtortoque collo eum ad judicium traxiſſet, injuriarum actione tenebatur, ut docent Cujac. *lib. 7. obſervat. c. 16.* Corraſius *in §. pœnales, n. 5. Inſtit. de act.* Quare actor prius teſtes interrogabat, utrum vellent illius vocationis teſtes eſſe, prolatis illis verbis, *licet anteſtari*: notarunt Bevardus *ad leges 12. Tabul. c. 5.* Pancir. *lib. 1. variar. c. 33.* & ſi illi reſpondebant, *licet*, addito verbo, *memento*, eorum tangebat imam aurem, locum memoriæ dicatum, ut antiqui exiſtimabant. Alex. ab Alex. *lib. 2. dier. genial. c. 19.* quem antiquum vocationis ritum eleganter complectitur Horatius *lib. 1. ſatyr. 9.*

——— Caſu venit
Adverſarius: & quo turpiſſime magna
Exclamat voce, & licet anteſtari? Ego vero
Appono auriculam. Rapit in jus, clamor utrinque,
Undique concurſus, &c.

Meminit Plinius *lib. 11. hiſt. c. 45.* dum ait: *Eſt in aure ima memoriæ locus, quem tangentes atteſtantur.* Ad illum etiam ritum reſpexit Conſultus *in l. vulgaris 23. digeſt. de furtis.* Eum exponunt Carolus Sigonius *de antiquo jure populi, lib. 1. de judiciis: c. 18.* Roſinus *antiquit. Rom. lib. 9. cap. 12.* Duarenus *lib. 1. diſcept. c. 1.* Goveanus *lib. 1. var. c. final.* Revardus *ad leges 12. Tabul. c. 5.* Polletus *lib. 5. hiſtor. fori, c. 1.* David Argente *notatum juris ſelect. titul. de interd. uti poſſidetis, pag. 54.* Marſilius, Revardus, Balduinus, & Gothofredus *ad leges 12. Tabul. tabula 1.* Pancirola *d. c. 33.* Lexicographi *verb. Anteſtari*, P. Faber *in l. nemo de domo 130. ff. de reg. jur.* Samuel Petitus *ad leges Attic. lib. 4. tit. 2.* non tamen tenebatur actor reo tempore vocationis ejus cauſam exprimere, ſeu explicare, ut colligitur ex Plauto *in Perſa act. 4. ſcen. ult.* ubi Saturio Dorganum lenonem ita alloquitur: *Age ambula in jus, leno.* Cui reſpondet Dorganus: *Quid me in jus vocas?* Replicat alter: *Illic apud Prætorem dicam; te ergo in jus voco.* Notant Forcatul. *in ſphæra legali, pag. 38.* Revardus *pro tribun. q. 4.*

8 *De actionis editione.* Ceterum ubi coram Prætore actor, & reus erant, actor debebat reo cauſam indicare, actionemque edere, *l. 1. digeſt. de edendo*, quam late exponit Vultejus *diſcept. c. 6.* ideſt digito deſignare eam, qua reum conveniebat. Pichardus *in §. ſic itaque, n. 16. de actionibus.* Edita actione, reo præſcribebatur certum tempus ad deliberandum, an cedere, aut contendere vellet, quod ſpatium olim decem dierum fuit, *authent. de exhibendis reis, §. ſancimus*, quod protraxit Juſtinianus ad viginti dies, ut notavit Cujacius *in novell. 53.* Donellus *lib. 23. comment. cap. 3.* Si reus contendere volebat, actor a Prætore actionem impetrabat; nam Romani, ne populus prout vellet, actiones inſtitueret, eas certas, ſolemneſque introduxerunt, *lib. 2. §. deinde, dig. de orig. jur.* ubi certas dixit Conſultus, quia certis verbis, & nominibus conſtabant: ſolemnes dixit, quia uſitatis, & ſolemnibus verborum formulis compoſitæ erant. Graveus *in eodem §.* Donellus *lib. 23. comment. c. 4.* qua de cauſa actio vulgaris formula dicitur *in l ſi ſervus 24. dig. de furtis.* Has autem actionum formulas Prætor in albo ſuo deſcriptas habebat, ut pro interpretatione textus *in l. 1. verſ. eum quoque, digeſt. de edendo*, notarunt A. Faber *in ejus ratiocinali*, Hottomanus *de verbis juris, verbo Edere*, Duarenus *lib. 1. diſp. capit. 13.* Vveſembec. *ad titul. digeſt. de edendo*, Parlador. *lib. 2. rer. quotid. cap. fin. §. 7.* Pichardus *in rubric. & in §. pœnales, n. 8 de action.* eaſque Prætor dabat. Vultejus *lib. 2. de judic. titul. 5.* Balduinus *in §. non tamen, Inſtit. de perpetuis.* Alia etiam ſequebantur circa judices dandos, quæ adduximus *in c. 1. de arbitris.* Ex his pleraque immutata fuerunt tempore novæ Juriſprudentiæ, nam poſtea nemo abſque judicis mandato in jus vocari poteſt, ut *ex l. final. C. de exhibend. reis*, docent Duarenus *ad titul. de in jus vocando*, Corraſius *in lib. 6. §. ult. n. 12. digeſt. de rer. diviſ.* Quare de cauſa etſi in pandectis juris Cæſarei præcedat titulum de edendo rubrica de in jus vocando, quia in jus vocatio actionis editionem præcedebat; in Codice hic ordo invertitur, & poſt titulum de edendo, ſequitur rubrica de in jus vocando, quia ex novo jure ad mandatum Judicis tantum tenetur quis venire, & ad illud impetrandum a judice neceſſe eſt ut ſaltem judici edantur actiones, & deinceps actionum impetratio jam neceſſaria non eſt, *l. 2. C. de formulis, & impetr.* poſtquam conſtitutionem opus non eſſe actionis nomen edere, plures defendunt. Theophilus *ad Titul. Inſtit. de except.* Vaconius *lib. 6. declarat. c. 18.* Pichardus *in rubric. de action.* Barboſa *6. tom. collect. in præſenti*, Fermoſinus *in hoc textu, q. 1.* Scaccia *l. 1. proceſſ. judic. cap. 50. n. 29.* Contrarium tamen, imo tantum illis duabus conſtitutionibus compilatis *ſub titul. C. de formulis*, ſublatam fuiſſe formulam ſcrupuloſam actionis, non vero permiſſum actori ſimplex factum proponere, non edito, ſeu expreſſo actionis nomine, docent Donellus *in l. edita, numer. 10. C. de edendo*, Vitalis *lib. 1. variar. cap. 1.* qui expendunt pro ſua ſententia textus *in l. 1. §. ideo, digeſt. ſi menſor falſum, l. fidejuſſor, de negot. geſt. l. edita, C. de edendo, l. omnem, §. final. C. de Epiſcop. & Cleric.* in hac Doctorum varietate exiſtimo *ex dict. l. 2. C. de formulis*; tantum ſublatam eſſe veterem actionum formulam, non vero exinde licitum erat actori nomen actionis omittere; poſtea tamen cum judicia extraordinaria maxime uſitarentur, paulatim uſu introductum fuiſſe, ut ſimplex tantum factum in libello narretur, non autem neceſſarium eſſe nomen actionis exprimere, & in hac parte nihil immutavit jus Pontificium, cum quo jus noſtrum patrium conſonat, ut ſupra probavi *ex l. 40. tit. 2. part. 3. l. 4. titul. 2. l. 4. recopill.* licet diſcrimen inter jus canonicum, & civile agnoſcant in hac parte Oldendorpius *tract. de collat. juris Pont. & Civil. verbo actio, n. 22.* Rither. *de differ. utriuſque jur. l. 5. c. 15.* Carzobius *juriſprud. for. Rom. Saxon. p. 1. controv. 2. diffinit. 13.* Henellius *de dotalitio, c. 12. §. 10.*

9 *Traditur decidendi ratio.* Ex quibus jam apparet vera præſentis deciſionis ratio; nam cum judiciarius ordo ſervetur, & veritas facti agnoſcatur, etiam non expreſſo proprio actionis nomine, & jus canonicum, licet jubeat judiciarium ordinem ſervari, *c. in cauſis 19. de re judic. c. ad petitionem 22. de accuſat. c. cum dilecti, verb. Volentes, de dolo & contum.* exceptis cauſis decimalibus, & ſimilibus, in quibus ſummarie proceditur, *c. final. de tranſ. c. 2. de re judic. Clem. diſpendioſam, de judic. Clem. ſæpe, de v. ſ.* non tamen nimias juris ſubtilitates amat, *d. c. final. de tranſ.* ideo cum veritas cognoſci poſſit clare & aperte propoſito facto ab actore, ideo aſſerimus non eſſe neceſſarium exprimere nomen actionis, ſed ſimplex factum tantum narrare: docet Barboſa *d. 6. tom. in præſenti, n. 2.* quomodo factum proponi debeat, & quibus clauſulis adjectis, referam *in cap. 2. de libell. obl.*

10 Nec obſtant difficultates ſupra pro dubitandi ratione adductæ. Non prima, quia cum ſi negotium clare & aperte proponatur, ut in hoc textu docetur, poſſit commode, & ſufficienter reus inſtrui, an illi expediat cedere, vel potius contendere; ideo neceſſarium non eſt actionis nomen exprimere, cum ſatis clare negotio propoſito reus veniat in cognitionem cauſæ, ob quam ad judicium vocatur, ut docet Barboſa *in præſenti.* Nec obſtant textus *in d. c. experientia, d. c. 1. de mutuis petit.* & alii ſupra adducti, quia accipiendi ſunt de libello apte, & ſecundum jus concepto, & compoſito, ita ut contineat facti narrationem, ex qua facile cognoſcatur, quæ actio competat; non tamen in illis docetur, nomen actionis neceſſario eſſe exprimendum. Quo modo etiam intelligendi ſunt textus *in cap. conſtitutis 47. de elect. cap. 3. §. ſecus, de re judic.* docent in præſenti Vega, & Fermoſinus *queſt. 1.* Garranna *in cap. 2. de libelli oblat. num. 14.* Pichardus *in rubric. de actionibus, num. 14.*

C A P U T VII.

Idem a *Paduano Epiſcopo.*

Intelleximus ex litteris tuis, quod cum filia cujuſdam nobilis viri parochiani tui, cum quodam viro matrimonium contraxiſſet, comperto poſtea quod idem vir pro nece bon. mem. *b* Vicen. Epiſcopi vinculo tenebatur *c* excommunicationis *d* adſtrictus, in tua propoſuit præſentia quæſtionem: unde, quia poſtulaſti a nobis, utrum præfatus vir vinculo excommunicationis innodatus ſtare poſſit judicio, vel ad præſentiam tuam vocari, donec in præfata ſententia detinetur: f. t. duximus reſpondendum, videri nobis quod poſſit, & debeat conveniri, & per alium in præfato judicio reſpondere, ne videatur de prædicta malitia commodum reportare, ſi ex ea fuerit ab eorum impetitione ſecurus.

N O T Æ.

1 a *Paduano.*) Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. c. ultimo*, ex quo textum reſtituo. Padua, ſeu Patavium, pulchra civitas eſt Venetorum Romanorum colonia, ubi nati ſunt Titus Livius, Stella, Valerius Flaccus, & I. C. Paulus, ut plura de ejus magnitudine, & origine adducentes referunt Juſtinianus *l. 6. hiſt. Venet. pag. 102.* Gaudentius Merulla *l. 2. antiquit. Galliæ Ciſpad. cap. 1. in ea.* D. Petrus Proſdocimum ordinavit Epiſcopum illius, ut refert Carolus a Paulo *geograph. ſacra pag. 64.*

b *Vicen. Epiſcop.*) Vincentia, ſeu Vicentia, ut vult Tacitus *lib. 19.* eſt nobilis urbs Venetiæ, de qua Mantuanus.

Et Verona ferax frugum, Vicentia bello.

Plura Franciſc. Scotus in itinerario Italiæ. Ejus Eccleſiæ Præſu-

ſulem Joannem ſcelerate occiderunt Vicentini cives, cujus mentio fit *in cap. ad aure* 12. *de pœnis.*

2 c *Excommunicationis.*) Interficientes enim Epiſcopum excommunicationem majorem incurrunt, beneficiiſque, & feudis Eccleſiaſticis privantur, *c. attendendum* 13. *c. ſi quis deinceps*, *c. qui Subdiaconum* 17. *q.* 4. *c. infames* 17. 6. *q.* 1. *c. nulli* 11. 3. *q.* 4. infamia notantur, *leg. ſi quis hoc* 10. *C. de Epiſcop. & Cler.* unde arcentur ab honoribus, & jurepatronatus, *c. minor* 8. 17. *q.* 4. plura de hoc nefando crimine cumulant Anton. Auguſt. *in epit. juris*, 3. *p. l.* 35. *titul.* 1. Gibalinus *in ſynopſi cenſur. verbo Cardinalis* Petrus Gregor. *l.* 4. *part. tit.* 14. *c. fin. & de benef. c.* 26. Spondan. *in continuat. Baronii*, *anno* 1104. *n.* 21.

d *Adſtrictus.*) Valide tamen contraxit matrimonium, quia excommunicatus valide illud contraxit, quatenus eſt contractus, *c. ſignificaſti, de eo qui duxit in matrimonium, quam prius*, Covarruvias 5. *part. de matrim. c.* 6. *n.* 6.

COMMENTARIUM.

3 Concluſio probatur & traditur. EX hac decretali epiſtola talis deducitur aſſertio: *Excommunicatus in judicio, niſi tamquam reus ſtare non poteſt.* Probant eam textus *c.* 1. *c. cum inter, c. exceptionem, de except. c.* 1. *eodem tit. in* 6. *c. fin. de judic. c. per tuas* 4. *de ſent. excomm. c. decernimus, eodem tit. in* 6. *c. ſciſcitatus, de reſcriptis, ad c. probandum, de re judic. c.* 1. *de ſupplenda neglig. l.* 6. *c.* 1. *de offic. vicar. eodem l. c. excommunicamus*, §. *credentes, de heretic. c.* 2. *de ordin. cognit. in* 5. *compil. c. revera* 3. *q.* 9. *Clement.* 1. *de except. c.* 1. *de reſcript. in* 6. conſonat textus *in leg.* 4. *titul.* 10. *l.* 2. *fori, leg.* 187. *ſtyli.* Illuſtrant Moneta *de commutat. ultim. volunt. c.* 4. *n.* 312. Suarez *de cenſur. diſp.* 16. *ſect.* 4. *n.* 1. Avila *eodem tract.* 2. *p. c.* 6. *dub.* 7. *diſp.* 7. Gibalinus *eodem tr. diſp.* 2. *q.* 8. *n.* 274. Hurtado *de excommunic. diſp.* 8. *difficult.* 3. Diana *p.* 5. *tract.* 9. *reſol.* 109. Cujacius *in præſenti, & in c.* 2. *de exceptionibus*, ubi plures congerunt, Garanna, Barboſa, & Fermoſinus: plures congerunt, Leander *de cenſuris diſp.* 12. *q.* 1. Ricciulus *de jure perſonarum l.* 4. *c.* 31. Rodericus Suarez *allegat.* 31. Manrique *de different. q.* 54. Paz *in l.* 176. *ſtyl.* Genuenſis *practic. q.* 23. Oſualdus *l.* 17. *Donello, cap.* 4. *littera G.* Salgado *de protect. regia, p.* 1. *c.* 2. *n.* 165. Petr. Gregor. *l.* 49. *ſyntagmatum, c.* 2. *n.* 2. Boetius Epon. *in c. adverſus* 7. *de immunit. Eccleſ. num.* 13.

4 Impugnatur hæc aſſertio. Sed hæc aſſertio licet vera ſit, itaque firmata, difficilis valde redditur ſequentibus conſiderationibus. Prima naſcitur ex eo; nam ſi excommunicatus non poſſet, ut actor in judicio comparere, ſequeretur ut acta judicialia ab eo nulla eſſent, argumento legis *non dubium, Codic. de legibus*: textus diſertus ab ſpecie *in c.* 1. *de reſcriptis, l.* 6. Sed acta ab excommunicato in judicio, dum non opponitur exceptio excommunicationis, valida ſunt, & ſubſiſtunt, *c.* 1. *de except. lib.* 6. docent Suarez, Marinus Alterius, Avila, & alii relati a Vega *in præſenti*: igitur quia excommunicatus valide poteſt jus proprium tamquam actor in judicio proſequi. Secunda ex eo provenit, nam ut infra latius dicemus, prohibitum eſt excommunicato agere in judicio, ne detur occaſio communicandi cum ipſo: ſed reus per Procuratorem in judicio reſpondens non communicat, ut in hoc textu docetur: igitur ſicut reus mediante procuratoris perſona in judicio eſſe poteſt, ita & actor.

5 Excommunicatus arcetur a judicio. Adhuc tamen dicendum eſt, excommunicatum, niſi tamquam reum non poſſe ſtare in judicio, non tamquam judicem, ſive ordinarium, ſive ut delegatum, *c. ſciſcitatus, de reſcriptis d. c. ad probandum de re judic. c.* 1. *de ſupplend. negl. lib.* 6. *c.* 1. *de offic. vicar. eodem lib.* docent plures congeſti a Ricciulo *de jure perſon. lib.* 4. *c.* 17. 18. *&* 19. Cæſar *de Eccleſ. hierarch. diſp. &* §. 7. *num. fin.* late dicemus *in d. c. ad probandum*: neque ut Advocatus, *dict. cap. decernimus, de ſent. excomm. in* 6. *cap. excommunicamus*, §. *credentes, c. final. ne cleric. vel mon.* Cum enim patrocinium non poſſit præſtari ſine aſſidua communicatione, *leg. providendum, C. de poſtulando, leg.* 1. *Codic. dict. advocat. diverſ.* ideo excommunicatus tamquam advocatus a judicio arcetur, & a judicio ex officio repelli poſſe docent Ricciulus *ubi ſupra, cap.* 21. Leander *de cenſur. dict. diſp.* 12. *quæſt.* 26. 27. *&* 28. Gibalinus *d. p.* 2. *diſput.* 7. neque ut teſtis admittitur, *dict. c. decernimus, cap. licet, c. teſtimonium, cap. veniens, el* 2. *de teſtibus*, docet Farinac. *de teſtibus quæſt.* 56. excepta cauſa hæreſis propter fidei favorem, *c. in fidei, de heret. in* 6. Gibalinus *ubi ſupra*, 6. *p. diſquiſit.* 7. Leander *ubi proxime, q.* 30. *uſque ad* 44. neque ut tabellio, Ricciulus, *d. lib.* 4. *c.* 30. Gibalin. *ubi ſupra*, Leander *d. diſput.* 12. *q.* 17. nec ut procurator *c. poſt ceſſionem* 7. *de probat.* Ricciulus *d. lib.* 4. *cap.* 24. *num.* 12. nec tandem ut actor in judicio comparere valet, ut ex noſtro textu, & ſupra citatis, ſive per ſe agat, ſive per Procuratorem, *cap. final. de procurat. c. dilectus, de accuſat.* Si enim per ſe comparere non poteſt in judicio, neque per alium *cap.* 1. *de offic. vicar. in* 6. præcipue cum in judicio eadem ſit conditio procuratoris, ac domini, *c. licet, de teſtibus, l. alia, ff. ſoluto matrim.* quod procedit, ſive actor civiliter agat, ſive criminaliter; excommunicatus enim non poteſt alium accuſare, *cap. cum dilectus, de accuſat. c. a nobis, de except. c. exhibita, de judiciis*: ſive ſuam, ſive ſuorum injuriam proſequatur, Ricciulus *ubi ſupra, cap.* 31. *num.* 9. licet enim aliæ inhabiles perſonæ ſuam, vel ſuorum injuriam proſequentes admittantur ad accuſandum, *l. his tamen, de accuſ. l. non ignorat C. de his qui accuſar. c. omnibus* 4. *q.* 6. *cap. de cetero de teſtib.* excommunicatus tamen ob periculum communicationis arcetur ab accuſatione. Plaza *de delictis, lib.* 1. *c.* 44. *num.* 10. Farinacius *dict. q.* 12. *num.* 31. neque tamquam fiſci Patronus, Riccius *d. cap.* 31. *num.* 13. etiamſi accuſaſſet alium ſimiliter excommunicatum; nam excommunicationes invicem non compenſantur. Ampliatur hæc doctrina ut procedat, ſive excommunicatus agat coram judice ſæculari, ſive coram eccleſiaſtico, *lege placet*, ubi Doctores, *Cod. de ſacroſ. Eccleſ.* late illuſtrat Manrique *de different. utriuſque fori, ubi ſupra*, vel poſſeſſorio judicio agat, ſive tantum ad manutentionem, Ricciulus *d. cap.* 22. *n.* 19. nec reconvenire poteſt, nam mutua petitio actio eſt *c.* 2. *de mutuis petit. cap.* 2. *de ordin. cognit.* & licet defenſio excommunicato concedatur, *cap. ſignificaverunt, cap. dilecti, hoc titul.* reconventio enim non tam defenſio eſt, quam nova actio *cap. cum inter, de except.* etſi excommunicatus reum ad judicium vocaverit, reus opponere poteſt exceptionem excommunicationis, non ſolum in ingreſſu litis, verum in quacumque parte judicii, etiam poſt concluſionem in cauſa, *cap. exceptionem, hoc titul. c.* 1. *eod. tit. lib.* 6. *cap. prudentiam* 21. §. *ſexta, de offic. deleg.* Excommunicatus vero tamquam reus in judicio vocatus poteſt comparere, & opponere exceptiones ſibi competentes ex hoc textu, *dict. capit. excommunicatus*, §. *credentes, capit. cum inter, cap. ultimo, de except.* poterit ergo judicem recuſare, aut ab ejus ſententia appellare, *d. capit. cum inter*, & omnes exceptiones propriam defenſionem reſpicientes opponere, *cap.* 1. *hoc tit. in* 6. ut ſunt exceptio non numeratæ pecuniæ, rei non traditæ, ſolutionis, præſcriptionis, compenſationis, pacti de non petendo, rei judicatæ, & ſimiles, quas recenſet Ricciulus *ubi ſupra, cap.* 33. Item poteſt ut procurator adeſſe, non autem provocare in judiciis promiſcuis familiæ erciſcundæ, communi dividundo, finium regundorum, in quibus judiciis reus ſimul eſt actor, *l. judicium* 10. *ff. finium regund. l.* 2. §. *familiæ, l. inter* 44. §. *qui familiæ ff. famil. erciſc l. actionis* 37. §. *incerta, ff. de oblig. & act. c. ex litteris, de probat.* Barboſa *in cap.* 2. *a n.* 54. *de except.* Hæc procedunt in reo neceſſario, contrarium vero in reo voluntario, qui in judicio ſiſtit ob ſuam utilitatem, ut in caſu textus *in c. exhibita* 19. *de judiciis, leg. diffamari, C. de ingenuis, & manumiſſ.* cujus legis remedio excommunicatus uti non poteſt. Ricciulus *d. cap.* 33. Gibalinus *ubi ſupra, pag.* 274.

6 Traditur ratio decidendi. His animadverſis apparet ratio præſentis deciſionis; nam cum prohibita ſit communicatio majori excommunicatione ligato, non ſolum in divinis officiis, *cap. ſignificavit, de ſent. excomm.* verum etiam in aliis humanis actibus, politicis, & privatis, *c. ſicut Apoſtoli, c. excommunicatos, c. cum excommunicato*, 11. *q.* 3. late probabimus *in c. ſacris, de his quæ vi*; prohiberi etiam debuit hujuſmodi communicatio in judicio: unde recte deducitur in præſenti, excommunicatum actionem intendere in judicio non poſſe, ne adverſarius, & alii judicio intereſſentes cum animæ periculo communicare cogerentur, *c. exceptionem* 12. *de except.* docet Farinacius *in praxi, q.* 12. quod adeo verum eſt, ut parte non opponente excommunicationis exceptionem, judex officio eum repellere valeat. Gibalinus *ubi ſupra, p.* 270. Hodie tamen poſt extravagantem, *Ad evitanda, de ſent. excommun.* hucuſque tradita procedunt, ſi excommunicatus ſit denuntiatus; ſi autem toleratus reperiatur, & adverſarius non opponat excommunicationis exceptionem, acta in judicio cum ipſo vires habent. Ricciulus *d. c.* 31. nam licet ipſe toleratus licite non adſit in judicio, quia prædicta conſtitutio Joannis XXII. non emanavit in favorem excommunicatorum, ſed eorum qui cum illis communicant; tamen valida eſt: ſed ſi conveniatur excommunicatus, poteſt tamquam reus in judicio comparere; nam tunc non voluntarie, ſed coacte in judicium rapitur, *l. inter ſtipulantem* 83. §. *Stichum, ff. de verb. oblig.* ideo ne commodum ſentiat ex proprio delicto, contra regulam textus *in l. itaque fullo ff. de furtis*, debet vocatus in judicium venire; & cum invitus compareat, poteſt opponere exceptiones ſibi competentes, quia omnis defenſio illi conceditur, *Clement. paſtoralis*, §. *ceterum, de judic.* docent Cavallerius & Vega *in præſenti*, Garanna & Barboſa *in d. c.* 1. *de except.*

7 Reſpondetur difficultatibus. Nec obſtant difficultates ſupra expenſæ. Non prima, nam verum eſt, acta ab excommunicato in judicio, non oppoſita excommunicationis exceptione, valida eſſe, poſtea tamen exceptione oppoſita, & probata, irritari: nec contrarium probat textus *in d. cap.* 1. *de reſcript. in* 6. quia ſpecialiter procedit in excommunicato, qui ipſa cenſura innodatus impetravit reſcriptum Pontificium; geſta enim in judicio ab eo virtute ipſius reſcripti nulla ſunt ipſo jure, quia excommunicatus nequit impetrare reſcriptum, ut probavi *in c. nonnulli* 27. §. 1. *de reſcript.* quare cum reſcriptum nullum eſſet, geſta ejus intuitu vires non obtinent, ex defectu juriſdictionis in judice delegato: docet Ricciulus *d. lib.* 4. *de jure perſon. c.* 38. Nec adverſatur ſecunda difficultas; nam licet aliqui ex Interpretibus ex illis verbis hujus textus, debere per alium reſpondere exiſtiment excommunicatum, & in judicio vocatum cogi procuratorem conſtituere, per illumque ſe defendere, quia verbum, *debet*, importat neceſſitatem, Gloſſa *verbo debet, in Clement. attendentes, de ſtatu monach.* Tiraquellus *de retract.* §. 1. *gloſſ.* 15. præcipue quia cum ſtatuitur in jure, debere conſtitui procuratorem in judicio, ut in caſu textus *in c. quia Epiſcopus* 5. *q.* 3. *c. paſtoralis, hoc tit. leg. Papinianus, ff. de minor. leg. quicumque, C. de procurat.* præciſe conſtituendus eſt procurator: nihilominus dicendum eſt, excommunicatum in judicio vocatum per ſe poſſe comparere, & exceptio-

ceptiones in judicio opponere in omnibus illis caſibus, in quibus alii non coguntur litigare per procuratorem: quia licet verbum, *debeo*, plerumque inducat neceſſitatem *cap. propoſuit*, §. *ſuper quo, cap. oblata, de appellat.* frequentius tamen in jure importat tantum decentiam, & quod magis congruum videtur, *l. non ſolum*, §. 1. *ff. de novi oper. nunc.* Gloſſa *in cap.* 1. 15. *quæſt.* 1. & *in cap.* 1. *de deſponſ. impub.* Barboſa *de diction. dict.* 77. *num.* 79. Unde ſi excommunicatus commode poteſt per idoneam perſonam defendi, debet eam in procuratorem conſtituere; ſi vero non habeat idoneam perſonam, poteſt exceptiones per ſe objicere: Gibalinus *de cenſur. p.* 275. Ricciul. *de jure perſon. lib.* 4. *c.* 37. huic deciſioni opponi ſolent textus *in c. cum contingat* 36. *de off. deleg.* cujus interpretationem tradit Vega *in præſenti, c. examinata, hoc tit.* quem exponunt Garanna, *in d. c.* 2. *de exceptionibus*, quibus addendi ſunt alii a nobis adducti *in c. nonnulli, de reſcriptis*, & *in c.* 2. *cum inter* 5. *de exceptionibus, c. adverſus, de immunit. Eccleſ.*

C A P U T VIII.

a Lucius III. *Strigon. Archiepiſcopo.*

b CLerici vero, maxime in criminalibus, in nullo caſu poſsunt ab alio, quam eccleſiaſtico judice condemnari, etſi conſuetudo c regia habeat, ut fures d a judicibus ſæcularibus judicentur: cum e Imperator dicat, quod etiam leges eorum non dedignantur ſacros canones imitari, in quibus generaliter traditur, ut de omni crimine clericus debeat coram eccleſiaſtico judice conveniri, nec debeat in parte canonibus ex aliqua conſuetudine prejudicium generari.

N O T Æ.

1 a STrigon.) Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. c.* 8. de Eccleſia Strigonenſi aliqua notavi *in c. bonæ, de poſtulat. Prælat.*

b *Clerici vero.*) Manifeſte liquet ex his verbis, in præſenti deciſione deeſſe aliam ejus partem, quæ extat *in c. Apoſtolicæ, de decimis*, quæ conjungenda eſt cum hoc textu.

c *Regia.*) Ungarica videlicet.

d *Fures.*) Qui ſi laici ſunt, puniri debent a judicibus ſæcularibus, cum delictum mere civile ſit, ſeu temporale, ut cum aliis docet D. Joſeph Vella *in c.* 1. *de offic. ordin. c.* 1. *n.* 31. ac etiam notavi *in c.* 1. *de offic. ordin.*

e *Imperator.*) Juſtinianus *in novell.* 83. *cap.* 1. cujus pars reperitur *in c. ſi quis eum*, 45. 11. *q.* 1. in illis verbis: *Secundum ſacras, & divinas regulas, quas etiam noſtra ſequi non dedignantur leges.* Quæ verba reperiuntur *in l. ſacris*, 45. *C. de Epiſcop. & Cleric. cap.* 2. *de jurament. calumn. c. fin. de ſecund. nupt. novella* 5. *Juſtin. aurea Nicetæ Imperatoris*; notavit Riterurſius *ad Salvianum p.* 591.

COMMENTARIUM.

2 Concluſio proponitur, & probatur. EX præſenti textu ſequens deducitur aſſertio: *Clericus de omni crimine debet coram Eccleſiaſtico judice conveniri, non obſtante contraria conſuetudine.* Probant textus *in c. de presbyteris*, 28. *diſt. c. ſatis* 7. *diſt.* 97. *c.* 1. *c. nulla* 6. *c. nullus* 8. *c. relatum* 14. *c. clericus* 48. *& fere per totam* 12. *q.* 1. *c. ſicut* 15. 96. *diſt. c.* 1. *c.* 2. *& fin.* 21. *q.* 5. Concil. Carth. 3. *can.* 15. „ Clericus qui de crimine poſtulatus apud judicem ſæcularem ſe purgat, amittat locum ſuum. *Matiſcon.* 2. can. 10. Quod de Epiſcopis cenſuimus, vim obtineat & in Clero, ut neque Presbyter, neque Diaconus, neque Subdiaconus de Eccleſiis trahantur, aut injuriam aliquam inſcio Epiſcopo eorum patiantur: ſed quicquid quis adverſus eos habuerit, in notitiam Epiſcopi proprii, & ipſe cauſam juſtitia præeunte diſcutiens, animo clericos accuſantes ſatisfaciat. “ Cabilon. *can.* 15. Mogunt. *can.* 24. Salzeburg. *anno* 1386. *can.* 14. *c.* 2. *de foro compet. c.* 1. *eod. tit. in* 1. *collect. authent. ſtatuimus, C. de Epiſcop. & cler.* Trident. *ſeſſ.* 25. *de reform. c.* 20. Alia juris loca congerunt Antonius Auguſt. *in epit. jur. canon. lib.* 30. *tit.* 5. Goccius *tom.* 2. *theſauri, lib.* 8. *art.* 8. Illuſtrant ultra congeſtos a Barboſa *in collect. ad hunc textum*, & 6. *tom. in ſelect.* Balboa, Garanna, Cavallerio, Fermoſino, & Caniſio in præſenti, Tyberius Decianus *lib.* 4. *praxis crimin. c.* 9. *per totum.* P. Herodius *lib.* 1. *Pandect. tit.* 4. *c.* 9. Suarez *adverſus Regem Angliæ, lib.* 4. *c.* 5. Loterius *de re benefic. l.* 3. *c.* 33. Azor. *tom.* 1. *inſtit. lib.* 5. *c.* 12. Pereira *part.* 1. *de manu regia, prælud.* 3. Gretheſerus *de immunit. Eccleſ. l.* 2. *per totum*, Michael Rouſſell. *lib.* 4. *hiſtor. Pontific. juriſd. c.* 2. *uſque ad* 4. Cohelius *in not. Cardin. capit.* 15. *congreg.* 4. Roa *de juribus Princip. q.* 2. *n.* 8. Anſaldus *de juriſdict. part.* 1. *cap.* 2. *cum ſequent.* Hieronymus Garcia *in ſumma, difficult.* 3. *dubit.* 2. *part.* 2. Tambur. *tom* 1. *de jure Abbat. diſp.* 15. *q.* 19. Caſtro Palao *tom.* 2. *tract.* 12. *diſput. unica*, Solorzanus *lib.* 4. *polit. c.* 27. Gabriel de Bellis *de jure ſacro cap.* 4. Robertus *lib.* 1. *rer. judic. capit.* 6. Delbene, Diana, & alii recentiores, de immunitate eccleſiaſtica agentes. Ægid. Carler. *in tractatione habita in Concilio Baſileenſi pro punit. peccat. public.* Beyerlinch. *in theatro, verbo Eccleſiaſtici*, Guazinus *de defenſ. reor. defenſ.* 1. *cap.* 2. Frances *de compet. q.* 40. *&* 93. Solorz. *tom.* 2. *de jure Indiar. l.* 3. *c.* 27. Valenzuela *contra Venetos*, 4. *p. ex n.* 101. Germonius *lib.* 1. *de ſacr. immunit. cap.* 13. & *lib.* 2. *cap.* 15. & *lib.* 13. *cap.* 15. *per totum*, Salas *in* 1. 2. *tract.* 4. *diſp.* 14. Molina *tom.* 2. *de juſtit. diſp.* 31. Theophilus *tom.* 12. *tract. mala e bonis, c.* 3. *ſect.* 2. *num.* 5.

3 Traditur dubitandi ratio. Sed in hanc aſſertionem ita illuſtratam pro dubitandi ratione ſic inſurgo. Sive priora, aut ſequentia Eccleſiæ ſæcula percurramus, inveniemus clericos, in cauſis præſertim criminalibus, coram ſæcularibus judicibus, non vero coram eccleſiaſticis fuiſſe accuſatos. Divus enim Paulus ad Gallionem Proconſulem Achajæ (qui Senecæ frater erat) cum deductus eſſet, & accuſatus, Proconſul reſpondit: Si ſcelus aliquod, aut crimen pœna dignum commiſit, ego illum puniam, & coercebo. *Actuum Apoſtol. cap.* 18. Cecilianus Carthaginenſis Epiſcopus accuſatus a Donatiſtis, & damnatus ab Arelatenſi Epiſcopo, a Coſtantino Imperatore poſt cauſæ diſcuſſionem fuit abſolutus, ut referunt D. Auguſtinus *lib.* 3. *contra Creſcentium*, Nicephorus Calixtus *l.* 7. *hiſtoria cap.* 3. Euſebius *l.* 10. *hiſtor.* Optatus Milevitanus *l.* 1. *collat. cum Donat.* Cyrillus Præſul Jeroſolymitanus, abſens damnatus in Synodo appellavit ad Imperatorem, quaſi ad majus tribunal, ut refertur *l.* 4. *hiſtor. tripart. capit.* 2. Dioſcorus etiam in Synodo damnatus, ad judices ſæculares tamquam ad ſuperiores appellavit, ut refert Nicephorus Calixtus *l.* 15. *hiſtor. capit.* 30. alia exempla refert Patr. Marca *l.* 4. *concord. cap.* 3. Igitur quia in cauſis criminalibus eccleſiaſtici coram ſæcularibus conveniri poſſunt. Augetur hæc dubitandi ratio ex novella 83. Junin. cujus meminit Lucius III. in præſenti; nam in ea ſtatuitur tantum in eccleſiaſticis delictis clericos eſſe conveniendos coram judice eccleſiaſtico: quod etiam cavetur *in authentic. clericus, Cod. de Epiſcop. & cleric.* Igitur propter furtum, quod eſt delictum temporale, cognitio competit judici laico. Secundo adverſus eam partem, ubi aſſeritur, non obſtante contraria conſuetudine judicem laicum non poſſe de criminali cauſa eccleſiaſticæ perſonæ cognoſcere, ſic argumentor. Hæc exemptio clericorum a juriſdictione ſæculari provenit a jure poſitivo, ex conceſſione Eccleſiæ, ut probant Menochius *remedio* 15. *num.* 210. Duarenus *de ſacris Eccleſiæ miniſt. l.* 1. *capit.* 2. Bellarm. *lib.* 1. *de clericis, cap.* 28. Salas *de legibus, tractat.* 14. *diſp.* 14. *ſect.* 11. *numer.* 118. ſeu Imperatorum, ut vult Arniſeus *de exempt. cleric. c.* 3. Sed nemo ambigit, conſuetudinem legitime præſcriptam juri poſitivo derogare poſſe, *l. diuturna, l. de quibus, ff. de legibus, c. fin. de conſuet.* Igitur conſuetudine introduci poteſt, ut clerici etiam in cauſis criminalibus coram ſæculari judice conveniri poſſint. Augetur hæc difficultas ex eo; nam conſuetudo poteſt juriſdictionem tribuere illam non habenti, *capit. fin. de offic. Archidiac. cap. irrefragabili* 13. *de offic. ordin. cap. auditis, de præſcript.* in cauſis criminalibus judicandis, vel non, quam plurimum operatur conſuetudo, *c. cum contingat*, 13. *de foro compet.* Igitur & in regno Ungariæ conſuetudine introduci poterat, ut judices laici agnoſcerent de cauſis criminalibus in delictis temporalibus clericorum.

4 De origine, & progreſſu immunitatis eccleſiaſticæ. His difficultatibus minime obſtantibus vera eſt præſens deciſio, pro cujus illuſtratione ſciendum eſt, jam a primis Eccleſiæ ſæculis a ſanctis Patribus, Romanæque Eccleſiæ Præſulibus, & Imperatoribus fuiſſe cautum, aut ſtatutum, ne apud judices ſæculares clerici convenirentur, quod præcipue, & magna cura prohibuit Eccleſia, ne in cauſis criminalibus ad ſæcularia judicia traherentur. Cajus enim Pontifex anno 283. relatus *in cap.* 1. 11. *q.* 1. ſtatuit, ut nullus Epiſcopum, aut clericum apud ſæcularem judicem accuſare præſumat: confirmavit Marcellinus anno 296. relatus *in cap. clericum, ead. quæſt.* adjecta illa exceptione, niſi proprii Pontificis accederet conſenſus; quæ conſtitutio reperitur etiam in capitularibus Caroli Magni *l.* 6. *c.* 147. poſtea Sylveſter in Synodo Romana celebrata anno 324. *canone* 16. relatus *in cap. ſi quis* 10. 11. *quæſt.* 1. decrevit, ne eccleſiaſtica perſona, ut clericum accuſet; in Curiam intrare præſumat, ideſt in locum, ubi cauſæ criminales agitantur, ut interpretatur Polletus *l.* 1. *hiſtor. fori, capite quarto, in fine*, & in Concilio Carthag. III. celebrato anno 397. *capite nono*, relato *in cap. placuit*, 11. *q.* 1. ita cavetur: „ Item placuit, ut quiſquis Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum, ſeu Clericorum, cum in Eccleſia ei fuerit crimen inſtitutum, vel civilis cauſa fuerit commota, ſi relicto eccleſiaſtico judicio publicis judiciis purgari voluerit, etiamſi pro ipſo fuerit prolata ſententia, locum ſuum amittat, & hoc in criminali actione; in civili vero perdat quod evicit, ſi locum ſuum obtinere maluerit; “ ubi notavit Juſtelus. Chalcedonenſe *c.* 9. Alexander *in cap. relatum* 14. *dict. cauſa & quæſt.* conſtituit, clericos apud judices publicos non eſſe accuſandos, ideſt apud laicos, & ſæculares; in eo enim textu, & paſſim in ipſa quæſtione Judices publici opponuntur Eccleſiaſticis, & ſic pro ſæcularibus accipiuntur, ut *l.* 5. *capitul. cap.* 15. in illis verbis: *Ut omnes juſtitiam faciant, tam publici, quam eccleſiaſtici.* Et *l.* 6. *capit.* 106. *Ut Epiſcopi judices publicos commoneant, &c.* Et *in leg.* 12. *Cod. Theodoſ. de Epiſcop. & Cleric.* ait Ammianus ſpecialiter prohiberi, ne quis audeat apud judices publi-